kat.komp.
BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
35274
I | Mag. St. Dr. | P

THEOLOGIA.
N. 278.

V
B J
C

35274
1

DIRECTORIUM

DEVOTIONIS DIURNÆ,

Varias ex variis Authoribus desumptas,

Continens Orationes.

Viris devotis:

Sed vel maximè

CHRISTI

SACERDOTIBUS,

In Oppidis & Villis degentibus:

Ad usum accomodatum.

Anno à Partu Virginis

1702.

CRACOVIÆ,

Typis ACADEMICIS.

XIV. 24.

APPROBATIO.

DIrectorium devotionis diurnæ, Ascetico labore, venerandi cujusdam in Ecclesia Dei Sacerdotis, ex variis devotis Authoribus collectum; ac salutaribus, super beneficiis Dei, meditationibus refertum, legi: quod cùm sit universis Christi fidelibus, maximè verò Pastoralem Ecclesiarum per Oppida & Villas curam tenentibus pernecessarium: ut propter publicam omnium utilitatem typo mandetur, dignum approbavi. Datum in Collegio Majori Academiæ Cracoviensis. Die 22. Februarii, Anno Domini 1772.

M. PETRUS PRACZLEWIC,
S. Th: Doct: & Professor, S. Floriani Decanus, Librorũ in Diœcesi Crac: Censor.
mpp.

AD LECTOREM.

Accipe, devote Lector, Diurnæ devotionis Directorium, quod, dum me lecto affixum tenuit morbus, varios eosq; devotos percurrens libros; pro usu meo privato concinnavi, & prælo manuali impressum in occulto servavi. Venit tamen, nescio quo casu, ad manus quorundam Amicorum liber, quo perlecto fervidis institerunt precibus, quatenus eum in lucem proderem & juris publici facerem. Horum itaq; obsecundans postulatis, parvam hanc opellam, quam hactenus à cōspectu hominum abditam feci, nunc omnium oculis, licet invitus expono. Non pro eruditis & in Sacris Literis profundè versatis, sed pro mediocriter doctis, Villanis præsertim Ecclesiarum Rectoribus, & eorum Vices gerentibus, tum quibus curta supellex Literaria domi, hoc compilatum est opusculum. Directorium intitulatur, quia devotum dirigit Lectorem, quo tempore, quibus utatur

Ora-

Orationibus. *Omnia quæcunq; hoc continentur libello, ex variis variorum Authorum operibus excerpta: præter, quòd in unum congesta & in ordinem à me redacta, scito. Sunt quidem paulò prolixiores quædam Orationes, quæ tibi fastidium parere forsan poterunt. Sed non turbetur cor tuum, neq; formides: parvo constabunt temporis impendio, si eas serio, & magna cum attentione sæpe legeris, ac relegeris, illius memor lemmatis.* Sæpius ut melius. *breviq; dierum aliquot spatio, per frequentatos devotionis actus, etiam labili imprimes memoriæ. Quod si aliquam in illis traxeris moram? Non te tædeat. Nullibi enim meliùs tempus collocatur, quàm in Oratione. Utere ergo hac vili opera; & cùm ferventes ad Deum fundes orationes, ac in corde tuo divini amoris exardescet ignis: etiam pro me, devotum funde suspirium.* Vale.

Quan-

Quanta ſit Virtus & Potentia Orationis.

Doctoris Seraphici ſunt verba.

VIrtus Orationis inæſtimabilis, & efficax eſt, ad omnia proficua impetranda & noxia removenda.

Si vis patientèr tolerare adverſa, ſis homo Orationis,

Si vis tentationes & tribulationes ſuperare, ſis homo orationis.

Si vis pravas affectiones conculcare, ſis homo orationis.

Si vis aſtutias ſathanæ cognoſcere, ac ejus fallacias vitare, ſis homo Orationis.

Si vis lætantèr vivere in opere Dei, & laboris, & afflictionis viam incedere, ſis homo Orationis.

Si vis in ſpirituali vita te exercere, & carnis curam non agere in deſideriis, ſis homo Orationis.

Si vis vanas muſcas cogitationum effugare, ſis homo Orationis.

Si vis animam tuam ſanctis & bonis cogitationibus, deſideriis, fervoribus, & devotionibus impinguare, ſis homo Orationis.

Si vis cor tuum virili ſpiritu, & conſtanti propoſito, in Dei beneplacito ſtabilire, ſis homo Orationis.

Si vis ad contemplationem aſcendere, & frui amplexibus Sponſi, ſis homo Orationis.

Deniq; , ſi vis vitia extirpare, & virtutibus imbui, ſis homo Orationis.

Sem-

Semper, ac in omni loco & Actione orandum.

Oportet semper orare, & non deficere.

Christus dicit Luc: 18.

S. EPHREM.

In verba Christi.

B*Onum fuerit semper orare, & nunquam deficere, quemadmodum dicit Dominus. Quare sive opereris, sive dormias, sive iter facias, sive comedas, sive bibas, sive decumbas, cave orationem tuam intermiseris: Sive*

In Ec-

in Ecclesia fueris, sive domi tuæ, sive in agro: & si oves pascas, & si ædificia construas: & si in Symposiis verseris, ab oratione cave desistas. Et quandocunque poteris, genua flecte: quando non poteteris, mente Deum invoca. Quod si orationem operi præmiseris, & surgens è lecto primorum motuum tuorum, intia ab oratione duxeris? aditus peccato in animam non patebit. Tom: 1. de orando Deum.

PRE-

PRECES
Post Surrectionem MATUTINAM DICENDÆ.

EXPERGEFACTVS

Sit prima vox tua in Lecto.

In Nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti ✠ Amen.

BEnedicta sit Sancta, & individua TRINITAS, nunc & semper, & per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Benedicamus Patrem, & Filium, cum Sancto Spiritu: Laudemus & superexaltemus eum in sæcula. Gloria Patri, &c.

Hic cavendum, ne priùs sæcularia negotia in mente peragantur; antequam cor in Deum elevetur. Proinde in lecto adhuc decumbens, dic.

O IESU! ô MARIA! saluto vos millies, & ex toto cordis affectu, ad vos suspi-

ro DEVS, DEVS meus, ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.

Tu DEVS cordis mei, & pars mea DEVS in æternum.

Jllumina Domine oculos meos, ne vnquam obdormiam in nocte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum.

Surgens velociter de lecto, dic.

Jn Nomine Domini nostri IESV CHRISTI, ego surgo, qui me pretioso Sanguine suo redemit: ille me custodiat, protegat, ab omni malo defendat, & ad vitam deducat æternam.

Vestiendo te.

Jndue Domine animam meam Cyclade auro textâ, vesteq; nuptiali Charitatis, quæ operit multitudinem peccatorum meorum; & immensis monilibus virtutum, exorna me. Idem à te peto Beatissima Virgo MARIA.

Indutus & conversus ad Ecclesiam, vbi conservatur SS. Eucharistiæ Sacramentum mente in Deum eleuatâ, has infra positas recitabis Orationes.

AD

AD SS. TRINITATEM.

ANte pedes Divinæ Maieſtatis tuæ proſtratus, ô Sanctiſſima TRINITAS, ex intimo corde adoro, ſaluto, & benedico te. Gratias tibi ago, pro vniverſis beneficijs tuis, omnibus diebus vitæ meæ, ſingulariter autem hac nocte conceſſis: quòd ſcilicet mortuus in peccatis hac nocte non fuerim; ſed ad hunc vſq; diem ſervatus: vt per bona opera, Fidem, Pœnitentiam, & Chriſtianæ legis opera, gratiam tuam mihi conciliem, in hoc brevi & incerto vitæ curriculo. Amen.

AD DEUM PATREM.

OMnipotens ſempiterne DEVS, rogo te per immenſam miſericordiam tuam, conſerva me hodiernâ die ab omni ſcandalo, ab omni peccato, ab omnibus inſidijs Dæmonum, omniumq; inimicorum meorum, tam viſibilium, quàm inviſibilium infeſtatione. Adiuva me Domine, ne cogitatione, verbo, vel opere, aut negligentiâ Divinam Maieſtatem tuam vllo facto offendam.

Et ego propono mihi firmiter cum Divino auxilio tuo, hodiè omnia peccata mea vitare, conſveta vitia & imperfecti-

fectiones, eas maximè, ad quas propensior sum, deponere; actiones & studia mea ad tuam gloriam referre: & in virtutibus me exercere: ne hæc dies ſine bono opere tranſeat.

Tu autem non deſis mihi tuâ gratiâ, ô Pater miſericordiarum, & hæc mihi concedere digneris, intercedentibus, S. MARIA, S. Angelo Cuſtode, S. Ioſeph, SS. Patronis meis, omnibuſq; Sanctis. Qui vivis, & regnas vnus & trinus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

AD JESUM.

Commendatio ſui ipſius.

O Amantiſſime Domine IESV, in vnione illius commendationis, quâ te ipſum moriens in manus Patris commendâſti, commendo tibi Corpus & Animam, omneſq; vires ac ſenſus meos, & omnia mea.

Rogo te per lachrymas, ſudorem, & ſanguinem tuum, nec non per merita, & interceſſionem Matris tuæ dulciſſimæ, & omnium Sanctorum tuorum, vt mihi, omnibuſq; amicis & benefactoribus meis concedas; tuam ſemper & in omnibus voluntatem facere, ſecundum te vivere, & in gratia tua mori.

AD B. V. MARIAM.

O Beatissima Virgo MARIA, ego te hodie in Dominam, Patronam, & Matrem meam eligo, & accipio: ideò me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ, hodiè & quotidiè & in hora exitus mei, animam meam & corpus meum tibi commendo, omnem spem & consolationem meam, omnes angustias & miserias meas, vitam, & finem vitæ meæ tibi committo: vt per tuam sanctissimam intercessionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur & disponantur opera, secundum tuam, tuiq; Filij voluntatatem, Amen.

AD SS. ANGELOS.

DEUS propitius esto mihi maximo peccatori, & custodi me omnibus diebus & noctibus vitæ meæ. DEVS Abraham, DEVS Isaac, & DEVS Iacob, miserere mei, & mitte in adiutorium mihi S. Michaélem Archangelum, qui me defendat ac protegat ab omnibus inimicis meis. S. Michaél Archangele, defende me in prælio, ne peream in tremendo iudicio.

O S. Michaël, per gratiam quam meruisti, & per vnigenitum Filium Dei Jesum Christum, te deprecor, vt liberes me hodiè ab omni damno & periculo mortis. S. Gabriel, S. Raphaël, & mi Angele Custos, omnesq; SS. Angeli, & Archangeli Dei, succurrite mihi.

Adiuro vos per omnes virtutes Cælorum, vt præservetis me à subitanea morte, & præstetis mihi auxilium, robur, & virtutem, ne vllus inimicus nocere, me lædere, vel condemnare possit: nec domi, nec foris, nec in igne, nec in aqua, nec vigilantem, nec dormientem, me vulnerare aut opprimere queat.

Ecce Crucem Domini ✠ fugite partes adversæ. Vicit Leo, de tribu Iuda; radix David, Alleluia.

Salvator mudi, salva nos, qui per Crucem & Sanguinem tuum redemisti nos, auxiliare nobis, te deprecamur, Deus noster.

Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus & immortalis, miserere nobis.

Crux ✠ Christi, salva nos. Crux ✠ Christi, ✠ protege nos. Crux ✠ Christi, defende nos. Jn Nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ Sancti, Amen.

AD ANGELUM CUSTODEM.

ANgele Dei, qui custos es mei: supplex oro te etiam, vt omnis administrationis meæ curam agas, ac misero mihi peccatori tuum auxilium & præsidium exhibere digneris, Amen.

AD SS. PATRONOS.

ET tu gloriosissime S. Joseph, S. N. cuius Nomen indignus gero, cæteriq; Patroni & Tutelares mei, obsecro & obtestor, impetrate mihi & omnibus domesticis, Familiaribus, Benefactoribus, & adversarijs meis, quod scitis expedire ad salutem mentis & corporis. Impetrate afflictis consolationem; infirmis sanitatem; peccatoribus veniam: iustis perseverantiam: vivis pacem: & defunctis requiem sempiternam, Amen.

BENEDICTIO

Mane & Vesperi dicenda.

PAx Domini nostri Jesv Christi, & Virtus Sanctissimæ Passionis eius. Signum ✠ Sanctæ Crucis: & integritas Beatissimæ Virginis Mariæ: Benedictio Omnium Sanctorum: Custodia SS. Angelorum: præsentia Tutelaris mei:

& ſuffragia omnium Electorum DEI, ſint inter me, & omnes inimicos meos, viſibiles & inviſibiles, nunc & in hora mortis meæ. Jn Nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ Sancti, Amen.

Dicendo hæc Sacra Nomina infra poſita, primæ Literæ quatuor Nominum, digito in fronte exprimantur.

IESVS NAZARENVS, REX IVDÆORVM.

Hic titulus triumphalis, defendat me ab omnibus malis. Sancte DEVS, Sancte Fortis, Sancte & immortalis, miſerere nobis. Amen.

DE RECTA INTENTIONE FACIENDA.

Intentio recta est. *Quæ operis sui Deum pro fine constituit. Quam facere oportet, ob purum amorem Dei, ante omnes diei actus. Omnis enim actio & labor noster, rectâ Intentione carens sine mercede est: & prout notæ eruditionis & Sanctitatis Pater Drexelius ait: Opus sine intentione recta, opus mortuum, inutile, nullum. Hinc Sanctus Gentium Doctor ad Corinthios scribens, inquit:* Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. *1. Corint. 10.*

Sciendum enim est. *Omnia opera naturalia, vt edere, bibere, cænare, ambulare, animum relaxare, dormire, &c. &c. non esse meritoria vitæ æternæ, sine Intentione recta. Quòd si illâ condiantur, & ad Deum tanquam ad primum principium, & vltimum finem dirigantur, in vnione operum Christi & Sanctorum eius, velocissimo cursu eunt ad Cælum, & acceptissima sunt Deo.*

Intentio *autem est duplex.* Actualis & Virtualis.

Actualis est. *Dum manè, antequàm aliquid*

quid agamus Deo offerimus, quidquid facturi sumus.

Virtualis est. *Dum aliquid facimus, in virtute illius Intentionis de manè factæ, nullâ præmissa actuali Intentione, ad initium alicuius Operis.* v. g. *Facit aliquis mane Intentionem eiusmodi.*

Mi Devs: quidquid hodiè dixero, fecero, cogitavero; id omue cedat ad tuam gloriam.

Hæc Intentio de mane facta est Actualis. *Postea accingit se alicui operi, nec cogitat, se illud opus facturum, pro gloria* D e i; *talis* Intentio est Virtualis.

Secundum itaq; sensum Theologorum, Intentio illa Matutina, ad omnes diei Actus Deo consecrandos, non sufficit; sed ad initium cuiuslibet operis, Matutina est renouanda, paucis similibus verbis. Domine, hoc propter te faciam. Propter te & ad gloriam tuam, edam, bibam, dormiam, &c. *Præmittendæ itaq; Intentionis rectæ, ante Actiones tuas habes Exemplar infra: Prius tamen antequam directionem Intentionis ad Deum feceris, Actum Contritionis, sic vel similiter elicere memento.*

Actvs

ACTUS CONTRITIONIS.

DOmine IESV Christe, verus DEVS, & verus HOMO: doleo ex toto corde meo, quòd offenderim te infinitum bonum meum, infinito amore dignissimum. Amo te super omnia firmiterq; statuo, nunquam posthac peccare, & omnes peccandi occasiones devitare. Propono quoq; peccata mea confiteri, pœnitentiam; quæ mihi iniūcta fuerit, exsolvere: & si quid alicui debeam; restituere.

Amore etiam tui, remitto iniuriam à quocunque mihi illatam. Insuper ad expianda peccata mea, offero Maiestati tuæ, vitam, labores, & vniversa bona opera mea, si quæ sunt.

Ut verò humillimè peccatorum meorum remissionem efflagito, ita confido ab infinita bonitate tua per merita Sanctissimæ Passionis, Sanguinis, & mortis tuæ, ea mihi remittenda, præstandam etiam gratiam, quâ vitam meam emendem, & in Sanctissimo servitio tuo in finem vsq; perseverem, Amen.

DIRECTIO INTENTIONIS

Actuum diurnorum, in vnione Operum CHRISTI, *&* B. MARIÆ, *ac Omnium Sanctorum.*

SAnctissima TRINITAS, Pater, Fili, & Spiritus Sancte; gratitudinis meæ debitum tibi persolvendo tributum, offero Divinæ Maiestati tuæ affectu, quô possum vehementissimo, omnes totius vitæ meæ cogitationes, verba, & opera: præsertim quid hodie cogitaturus, locuturus, & facturus sim: Eaq; cum JESV Christi Domini nostri, B. V. MARIÆ; omniumq; Spirituum Beatorum, & Animarum Iustorum, qui hactenus fuerunt, modò sunt, & post futuri sunt, cogitationibus, verbis, & operibus, vnita, sine vllo præmij, vel pœnæ respectu, sed duntaxat, tui vnius causâ offero.

Obsecro te, per viscera misericordiæ tuæ, vt hanc oblationem meam, digneris acceptare, hodieq; me ipsum, ab omni peccato quantumvis minimo liberare; mihiq; concedas, vt nulli creaturæ cordis mei partem applicem, sed totus, & in omnibus tibi vivam.

Offero quoq; tibi, affectu quàm maximo possum, Beatissima Virgo MARIA (cui me ipsum totum post Filium tuum dulcissimum imprimis debeo) omnes cogitationes, verba & opera mea, ad honorem

norem tuum, cum plena tibi placendi voluntate & intentione, nullam aliam mercedem volens, quam vt purissimæ Animæ tuæ, aliquatenus voluptatem adferam.

Obsecro te Regina Serenissima, vt hodie mihi adesse, & auxiliari digneris; quatenus tuâ intercessione, diem hunc, in magna vitæ puritate, qualis tua fuit dum vixisti, traducere queam. Amen.

PACTUM CUM DEO.

O Benignissime Pater misericordiarum, Dominus & Creator meus, ex quo, per quem, & in quo sunt omnia; in te enim vivimus, movemur, & sumus: proindeq; supremi iure Dominij tui, omnia serviunt tibi. Hinc & tuus sum ego, vti nunc me ipsum trado tibi in servum perpetuum fædere sempiterno, eâ intentione & desiderio, vt omnia vitæ meæ momenta, & omnia, quæ intra & circa me sunt, benedicant Nomini tuo.

Quia verò præsentis vitæ necessitates, minus sinunt mentem indesinenter laudi tuæ intendere: hinc tale Pactum tecum ineo.

Quo-

Quoties hodie Cælum aſpexero, Horologium aut ſonum campanæ audivero; quoties carnem, mundum, aut Diabolum, me in quacunq; materia, Fidei, Spei, Charitatis, Caſtitatis, Patientiæ, Humilitatis tentantem ſenſero; nunc, pro tunc declaro (licet pro tunc hoc ipſum mente minus adverterem) toties me tibi congratulari & congaudere velle, ob infinitas perfectiones tuas, quòd ſis, qui es, ſummè potens, Sapiens, Benignus, & Iuſtus.

Quoties oculum clauſero, vel aperuero, toties rata & grata habeo omnia Opera & actiones, quas Vnigenitus tuus, & Omnes Sancti & Iuſti, ad laudem tuam vnquàm fecerunt, & deinceps facient: meq; horum participem fieri deſidero.

Quoties halitum traxero, vel emiſero; toties offero tibi vitam, Paſſionem & Sanguinem Domini noſtri IESU Chriſti, ac Omnium Sanctorum merita & paſſiones, ad laudem æternam & ſalutem vniverſitatis, omniumq; totius mundi peccatorum ſatisfactionem.

Quoties ſuſpiravero, vel pectus percuſſero: toties deteſtor & abominor omnia & ſingula peccata, tàm mea,

quàm

quàm omnium hominum, ab initio mundi contra honorem Sanctissimi Nominis tui perpetrata, quæ vtinam meo Sanguine compensari possent.

Demùm, quoties manum, vel pedem movero, toties ex amore tui, proijcio me & resigno totum in tuam Sanctissimam voluntatem: optans vt de me in tempore & æternitate disponas, iuxta tuum laudabilissimum beneplacitum.

Et hæc quinque Pacta, ne vnquàm irritari possint, Sacratissimis quinque vulnerum Filij tui Sigillis obsigno: eaq; rata & valida esse volo, licet tunc, cùm vnum de ijsdem edidero, de ijsdem minimè cogitarem.

PROTESTATIO CORAM DEO.

Saltem semel per Hebdomadam facienda.

SI quidquam ô mi DEVS hodie & totâ hâc Septimanâ cogitavero, dixero, fecero per imprudentiam, quod Divino beneplacito tuo repugnet: coram te Domine, totaq; Curia tua Cælesti protestor, id præter, & contra voluntatem meam fieri. Si aliter accidat, miserere Domine, & erran-

errantem illicò revoca, cadentem subleva, & ne id contingat per bonitatem tuam rogo te misericordissime DEVS, vt benedictione tuâ me prævenire, & tanquam rem tuam possidere ac regere digneris.

Arbitrij mei libertatem tibi sic subijcio, vt illam à te, si opus etiam fuerit, cogi cupiam & vinciri, ne contra te rebellet, aut contra voluntatem tuam vel minimum quid committat. Unicè velim mi DEVS, quod tu vis, & quod tu non vis, id & ego vnicè nolim. Hæc mea vnica sit voluntas, voluntatis tuæ beneplacitum quærere ac facere in omnibus.

Si quid Domine à te petiero; ne largiaris petenti quod honori tuo deroget, quod tuæ voluntati repugnet: Scio ô Bonitas scio, id mihi solum obest, quod tibi non placet. Rogo te per omnes Sanctos Angelos tuos, da mihi odium mei, & tui in omnibus amorem.

PROTESTATIO.

Seruiendi DEO gratis sine respectu meriti vel præmij.

DOmine DEVS meus, quidquid facio, quidquid patior, quidquid faciam, pati-

patiarq; vnquàm quocunq; modo: totum puro, nudo, gratuito amori tuo consecro. Non meritum cupio, sed gustum tuum intendo. Ipsum meritum, quod consequor, tuo gustui consecro. Ipsum quod mereri non intendo, aut quod gustui tuo consecro, non propter maius meum meritum, sed propter plenius suaviusq; tuum placitum, tibi dignissimo DEO semel pro semper consecro: & tibi, & si non absq;, attamen perinde, acsi absq; omni à te præmij, ac boni spe, gratis purè ac nudè servio, servireq; in æternum volo.

Sufficit mihi placuisse tibi, non tamen quia placuisse tibi, bonum mihi; sed quia gratum ac placitum tibi. Amo te quia mihi places, vt tibi placeam, vt mihi placeas, non quia id bonum mihi, sed quia id debitum tibi, quia dignum te, quia bonum & gratum, & placitum tibi, & deniq; vt sit bonum, gratum, gustabile placitumq; tibi. *In negot: Spir: Ind:* XXVII.

OBLATIO
Suiipsius DEO.

SUſcipe Domine vniverſam libertatem meam, accipe memoriam, intellectum & voluntatem meam. Quidquid habeo & ſum, mihi largitus es: totum id tibi reſtituo, tuæq; adorandæ trado, & ſubdo voluntati. Amorem tuum ſolùm mihi dona, & dives ero ſatis, nec aliud quidquam poſco.

ORATIO.

Varios Actus Pœnitentis continens.

DOmine Jesv Christe, credo quòd Devs meus & Redemptor meus es. Credo quòd pro mea ſalute, de Virgine Maria naſci, & in Cruce mori dignatus es. Credo quidquid per Sanctam Catholicam Eccleſiam mihi credendum proponis, & in hac fide, proteſtor me vivere velle & mori.

Domine Iesu, doleo quòd ſummam Bonitatem tuam offenderim, & doleo, quòd non magis doleam de tot offenſis, contra te Creatorem & Redemptorem meum ingratiſſimè perpetratis.

Peto humiliter peccata omnia mihi condonari, per Sanguinem tuum. Firmiter ab eis abſtinere, & vitam emendare propono, ſi vixero.

At

Atque si quid oblitus sum, vel non cognoscam, quo tuam Maiestatem offendi; de eo illuminari cupio & pœnitere, interim de omnibus veniam peto.

Omnibus, qui me vnquam offenderunt, libenter & ex animo, propter te mi DEVS, offensas omnes dimitto; & si quem offendi ego, precor etiam mihi veniam dari.

Si quid alienorum bonorum est apud me, quantùm teneor, & facultates meæ se se extendunt, volo satisfacere omnibus.

Spero in Divina tua misericordia, & in Sanguine cum tanta charitate pro me fuso, quòd me licet indignum salvum facies, & adimplebis me lætititiâ cum vultu tuo, quod vt facias, per Sanctam Passionem & mortem tuam te precor.

Corrobora me Domine JESV, contra omnes Sathanæ insultus, & scuto misericordiæ tuæ protege me, quoniam in bonitatis tuæ præsidio, tota est reposita spes & fiducia mea.

Nihil quidem meritorum habeo, quod allegem apud te; malorum, heu nimis multum video: sed per tuam misericordiam, confido me salvandum.

Jta in pace, in idipsum, dormiam & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. Tibi laus, tibi gloria, in sæcula sæculorum, Amen.

TABULA

Offerendi Opera nostra qualibet die per totam Septimanam.

DOMINICO. *Per SS. Angelos, pro Exaltatione Ecclesiæ, Pace, & concordia*
Die *Principum.*

LVNÆ. *Per SS. Patriarchas & Prophetas, pro Animabus in Purgatorio.*

MARTIS. *Per SS. Apostolos, pro Parentibus & Benefactoribus Corporis &*
Die *Animæ.*

MERCVRII. *Per SS. Martyres, pro Fratribus in Congregatione, Cognatis, & Amicis.*

JOVIS. *Per SS. Confessores, pro omni-*
Die *bus Ordinibus.*

VENERIS. *Per SS. Virgines, pro peccatorum & Inimicorum conversione.*

SABBATHI. *Per omnes Sanctos, pro Universis Beneficijs, nobis à DEO datis.*

ORA-

ORATIO
Ad istam Tabulam.

DOmine JESV Christe, en ego famulus tuus, propono mihi firmiter, atq; coram te protestor, quòd omnes meas operationes, quas præsenti die facturus sum, tam internas, quam externas, tam bonas, quàm indifferentes, tam liberas, quàm naturales, purè & vnicè facere intendo in vnione Sanctissimarum Operationum tuarum; nec non & in vnione, bonarum Intentionum, bonorumq; Operum, quæ Beatissima Virgo MARIA, omnesq; Sancti tui perfecerunt. Desideroq; eas omnes, recta & simplici intentione, integrè & perfectè referre, ad maiorem tuam, omniumq; Sanctorum & Sanctarum tuarum gloriam, laudem & honorem. Et eas tibi, per SS. NN. (*vide Tabulam*) & animæ meæ salute offerri & repræsentari desidero & exoro. Tu ergo Domine pro infinita bonitate & clementia tua, dignare ea rata & grata habere, & in vnione omnium Operum & meritorum Sanctissimæ Passionis tuæ propitius acceptare, vt virtute eorum, mea iuvetur infirmitas, & suppleatur defectus, Amen.

Joannes Bona, Sacri Cisterciensis Ordinis primò Abbas, postea S. R. E. Cardinalis, in suo Horologio Ascetico, docet ex mente Theologorum, posse, ex una eademque Actione, tot consequi merita, quot multiplicatæ fuerint eiusdem Actionis Intentiones: idque per Extensionem Finium; ac si decies, vel trigesies repetita fuerit illa Actio vel operatio, cuius forma ponitur inferiùs.

DIRECTIO INTENTIONIS.

Per Extensionem Finium.

O Infinita Bonitas DEUS meus. quidquid agam patiarvé hodie (vel totâ hâc Septimanâ) volo agere, vel pati, eo affectu, Spiritu, & Intentione, quibus Christus Filius tuus operabatur in terris.

1. Ut tibi laudem, cultum, honorem, & gloriam tribuam, quibus debeo te venerari.

2. Ut faciam voluntatem tuam.

3. Ut protester omnimodam mei subiectionem, & dependentiam à te.

4. Ut quotidiana Corporis & Animæ bona impetrem,

5. Ut meritum & præmium æternum, quantum est in me, augeam.

6. Ut

DE RECITATIONE *Divini Officij.*

Diuinum Officium, reuerenter, attentè, deuotè; & in tempore debito est recitandum. Dicitur devotè: secundum doctrinam S. Augusti: qui ait: Si Psalmus orat, orate: si gemit, gemite: si gratulatur; gaudete: si sperat; sperate: & si timet; timete. Dicitur in tempore debito, docente eodem. Orare ante tempus, est prudentia: in tempore, obedientia: post tempus, negligentia. In recitando autem, non requiritur Attentio Actualis: *sed sufficit* Virtualis;

MODUS

Offerendi Deo Officium Divinum.

Per vsum Potentiarum Corporis & Animæ.

DEUS cuius immensam Maiestatem adorat omnis Ecclesia Sanctorum, offero tibi has Ecclesiæ tuæ Sanctæ preces, à me indigno die hodiernâ recitandas. Offero imprimis omnes a Matutino, vsq; ad Completorium Horas: offero omnes earum affectus, & sensus, à Spiritu Sancto, & ab Ecclesia Sponsa tua intentos, atq; hic depositos. Offero omnia

nia earum puncta, commata, sententias, verba, literas. Offero omnes motus linguæ meæ, & manuum mearum, omnes ictus oculorum, omnes respirationes, omnes cogitationes, & affectiones animæ meæ: omnes mei commotiones, in hac præsenti Oratione, intercursuras. Accepta igitur hoc tributum servitutis meæ, Tu qui es Dominus meus, Rex meus, DEVS mevs, solus vnus, naturalis: meq; mancipium tuum naturale & voluntarium, Spiritu Sancto tuo, & gratia efficaci, atq; abundanti, purifica, confirma, sanctifica: vt tibi servitium meum, in Sanctitate & Iustitia; & perseverantia exhibere valeam. Qui in Trinitate perfecta vivis & regnas, vnus DEVS in sæcula benedictus.

ORATIO alia.

CLementissime Domine DEVS: ecce ego miser peccator; attamen Opus manuum tuarum, venio huc coram te, vt Divinam Maiestatem tuam, quam omnes Creaturæ in Cælo & in terra laudare obligantur, & nunquàm pro merito laudare sufficiunt, laudem, adorem, & be-

& benedicam. Sed cùm ob innumerabilia delicta mea, de quibus nunc ex intimo corde doleo, ad adorandum & invocandum te indignus ac imparatus sim: igitur te per misericordiam tuam deprecor, vt me indignum & imparatum dignum facere, & cor meum ab omni macula peccatorum pretioso Sanguine IESV Christi mundare digneris.

Aperi Domine os meum ad benedicendum nomen Sanctum tuum: munda quoq; cor meum ab omnibus vanis, perversis, & alienis cogitationibus: intellectum illumina, affectum inflamma, vt dignè, attentè, ac devotè hoc Officium recitare valeam, & exaudiri merear, ante conspectum Divinæ Maiestatis tuæ. Per Christum, &c.

ORATIO.

Post Divinum Officium.

SUscipe Clementissime DEVS, precibus & meritis B. V. MARIÆ Genitricis tuæ, & omnium Sanctorum Officium servitutis nostræ; & si quid dignum laude egimus, propitius respice: & quod negligenter actum est, clementèr ignosce.

Qui

Qui in Trinitate perfecta vivis, &c.

Habetur alia in Breviario, quæ incipit: Sacrosanctæ, & individuæ Trinitati, &c.

Quam, qui deuotè post Officium recitaverit, omnes defectus & culpas in eo persoluendo ex humana fragilitate, contractas, ei Leo *X. indulsit.*

DE CONFESSSIONE

Celebrationi Missæ præmittenda.

C*Oncors est doctrina Virorum in Sacra Theologia eruditorum; Nullum Sacerdotem, conscium sibi peccati mortalis, ad Sacrificandum accedere debere: priusquam Confessione Sacramentali Conscientiam suam emundet, quantumvis contritus sibi videatur, & non solùm à peccatis lethalibus, sed & à venialibus opus est, vt expurget animam. Hoc idem docet Thomas à Kempis de Imit: lib: 4. dum inquit:* Diligenter examina Conscientiam tuam, & pro posse tuo, verâ contritione, & humili Confessione eam munda & clarifica, ita vt nil grave habeas, aut scias quod te remordeat, & liberum accessum ad Altare impediat. *Quòd si nihil repurgandum habeat, vel ad confitendum Sacerdos desit? intentissimum eliciat priùs dolorem, de omnibus & singulis*

totius vitæ suæ delictis, quo præmisso ad celebrandum accedat,

ORATIO

Præparatoria ad Confessionem.

AD te pijssime JESV, mœrens & tristis venio, recogitans tibi annos meos, & delicta mea in amaritudine animæ meæ. Ad te verba doloris effundo, misericordiam implorans, vt facias opus tuum, quod est misereri & parcere: tollens peccata mea, quæ sunt magna miseria mea. Ne despicias voces & singultus Ovis perditæ, & filij tui prodigi, ad tuam pietatem redeuntis, de regione longinqua. Ecce venio ad te corde contrito & humiliato. Emitte lucem tuam & veritatem tuam, & illumina mentem meam, vt omnia mala mea, quæ commisi, & bona, quæ omisi, distinctè cognoscam, & integrè confitear.

Hîc Examen Conscientiæ faciendum, & peccata in memoriam revocanda. Post factam rationem Examinis, dolendo de peccatis dic:

Doleo benignissime DEVS, de omnibus & singulis etiam minimis peccatis meis, eaq; detestor, super omnia mala,

non

non solùm arido & impefecto corde meo, sed corde etiam & affectu, omnium verè pœnitentium, ex gratuito tui amore: quia Devs es infinito amore dignissimus. Firmiterq; propono quælibet potiùs subire mala, quàm iterum peccato consentire. Exactissimè item confiteri volo, tibiq; & proximo integrè satisfacere, atq; omnes peccandi occasiones deinceps evitare.

Quidquid verò mihi deest, suppleat mors tua, sanguis tuus, & superabundantia merita tua, quibus fretus, veniam obtinere spero, & gratiam mores meos corrigendi, & in bono vsq; ad finem perseverandi.

ORATIO.

Post Confessionem.

GRatias tibi ago Omnipotens sempiterne Devs, quia non secundum peccata mea fecisti mihi, sed superexaltâsti misericordiam tuam, & proiecisti in profundum maris, omnia delicta mea. Confirma hoc Devs, quod operatus es in me: tibiq; grata sit & accepta Confessio mea: atq; omnem eius defectum suppleat pie-

pietas, & misericordia tua.

Misericordiam tuam imploro, & veniam postulo cum inviolabili proposito ampliùs non peccandi, te vires mihi subministrante. Convertere ergo, & deprecabilis esto super me indignissimum servum tuum: & noli sic attendere malum meum, vt obliviscaris bonum tuum, Amen.

OBLATIO
Pro peccatis.

PAter cælestis, Pater clementissime, propitius esto mihi miserrimo peccatori. Ego in plenam emendationem, expiationem, atq; satisfactionem, pro omnibus peccatis, excessibus & negligentijs meis, & pro peccatis totius mundi; & in perfectam suppletionem meritorum, quæ mihi desunt: offero tibi dilectum Filium tuum, in vnione illius charitatis; quâ tu eum misisti in mundum: Offero omnia, quæ ipse pro nobis fecit ac pertulit. Offero Sanctissimam Incarnationem, Vitam, labores, ærumnas, Passionem, cruciatus, Sanguinem, & mor-

tem illius. Offero virtutes eius perfectissimas. Offero merita ac Virtutes B. V. MARIÆ, atq; Omnium Sanctorum tuorum. Suscipe obsecro, hanc oblatonem, in odorem suavitatis, & laudem æternam, pro mea omniumq; salute. *Blosius in Serm: Spirituali.*

Hanc oblationem poteris applicare, tàm vivis, quàm mortuis, mutatis mutandis.

DE CELEBRATIONE MISSÆ.

De celebratione digna Sacrificij Missæ, de Excellentia & valore eiusdem: cum quali dispositione, & actuali deuotione celebrandum sit, qui nosse cupit? Tractatum Asceticum, præmemorati Eminentissimi Cardinalis, de Sacrificio Missæ ritè celebrando, diligenter legat, & informabitur sufficienter. Antequam autem ad celebrandum accesserit, infra positas vel similes recitet Orationes.

DIRECTIO JNTENTIONIS
Ante Missam.

DEUS Cæli & terræ infinitè amabilis, & omnium bonorum fons indeficiens. Ego N. omnium notarum miserrimus peccator, & Ecclesiæ tuæ minister indignissimus, ante Thronum gloriæ tuæ humi provolutus, quàm maximo possum amoris, reverentiæ, & devotionis affectu, volo & intendo hodie Sacrosanctum Missæ Sacrificium, altissimæ Maiestati tuæ, cui soli debetur, iuxta Ritum S. Romanæ Ecclesiæ offerre, & exnunc offero: vnà cum omnibus Sacrifi-

cijs tibi placitis; quotquot à principio mundi oblata sunt, & vsq; ad finem offerentur. Simulq; pretium Sangvinis, & cunctos labores ac cruciatus Redemptoris nostri. Omnia merita Sanctissimæ & Immaculatæ Genitricis eius: Omnium Sanctorum Virtutes, totiusq; militantis Ecclesiæ laudes & preces.

Jn vnione illius admirabilis Sacrificij, quod idem Vnigenitus tuus, in vltima Cæna instituit, & in Cruce consummavit: factus Sacerdos suæ victimæ, & victima sui Sacerdotij. Affectu ac nomine eiusdem, totiusq; Ecclesiæ suæ Sanctæ, & omnium mecum quocunq; modo offerentium, ex puro tui amore, & desiderio tui beneplaciti, semper & in omnibus perficiendi.

Ad tuam maximam laudem, & cultum, & gloriam. In protestationem supremæ tuæ excellentiæ: Dominij tui in omnes Creaturas, & nostræ subiectionis, & dependentiæ à te.

Jn cultum Latriæ tibi soli debitum, simul cum adorationibus tibi gratissimis eiusdem Christi Filij tui, Beatissimæ V. MARIÆ, omniumq; Angelorum, & Sanctorum.

Jn memoriam vitæ & mortis præfati Domini nostri, & in obedientiam eiusdem mandati, quo præcepit, vt idem in eius commemorationem faceremus.

Ad honorem & augmentum gloriæ Deiparæ Virginis, omnium Angelorum & Sanctorum, & eorum, quorum hodie festivitas celebratur.

Jn gratiarum actionem pro vniversis Beneficijs tuis, quæ mihi indignissimo peccatori, cunctisq; hominibus, & omni creaturæ conferre dignatus es.

Jn propitiationem & satisfactionem, pro peccatis totius mundi, & pro meis specialiter, de quibus doleo, quæq; detestor & abominor, super omne detestabile; quia tibi maximoperè displicent, cum firmo proposito emendationis.

Et quia hoc Sacrificium vim impetratoriam infinitam habet: offero illud pro meis, & omnium viventium ac defunctorum necessitatibus. Ac primò quidem fructum, quem possum & debeo, illi principaliter applico, pro quo celebrare intendo; & si fortè contingat eum non indigere; vel non esse capacem; opto & volo hunc fructum ad NN. deriva-

rivari, cum applicatione Indulgentiarum mihi vel tali defuncto.

Secundariò autem, sine eius præiudicio, pro quo offerre primariò teneor, vel intendo, offero pro omnibus mihi peculiariter commendatis, pro N. & N. pro tali gratia obtinenda, & pro cunctis viuentibus atq; defunctis, pro quibus, me indignum famulum tuum legatione apud te fungi voluisti: vt defunctis requiem indulgeas, vivisq; gratiam concedas, tibi serviendi, & in amore tuo vsq; in finem perseverandi, Amen.

DEPRECATIO
Pro omnibus Necessitatibus.

MEmento Domine per viscera misericordiæ tuæ, per merita Filij tui, quem pro nobis oblatum, nunc denuo offeram, per merita Beatissimæ V. MARIÆ, & Omnium Sanctorum; memento Ecclesiæ tuæ Sponsæ tuæ; auge in ea puritatem Fidei, & munditiem sanctitatis; & labore virorum Apostolicorum, dilata eam toto Orbe terrarum. Conserva eam quietam, & tranquillam; & portæ in-

tæ inferi non prævaleant adversus eam.

Hostium eius elide superbiam, & gentes à fide alienas, veritatis tuæ splendore collustra, ne pereant tot imagines tuæ, pro quibus pretiosus Filij tui Sanguis effusus est.

Da Summo Pontifici nostro N. cor docile, da Spiritus Sancti abundantiam, vt populo sibi commisso verbo & exemplo præluceat.

Jntende oculos pietatis tuæ, in vniversos Ecclesiæ tuæ Præsules & Pastores, & fac eos super gregem sibi commissum fideliter excubare.

Adesto Parochis & Presbyteris, & omni Clero, vt nulli præbeant scandali occasionem, diligant puritatem, & ea exequantur, quæ pacis sunt.

Esto propitius omnibus Religiosis, quos separásti tibi in hæreditatem de vniversis populis terræ. Da illis continuum in virtute profectum, votorumq; ac Regularum exactissimam observantiam.

Effunde miserationes tuas, Domine Princeps Regum terræ, in omnes Reges & Catholicos Principes, eisq; tribue, in obedientia Fidei & Ecclesiæ perseveran-

tem famulatum, subditorum curam, iustitiæ zelum, mutuam pacem, & observantiam mandatorum tuorum.

Tuum etiam auxilium cunctis Magistratibus præbe, vt pacata gubernatione subiectos regant, te in omnibus iudiciis suis timeant, tibiq; iugiter placere contendant.

Da omni statui Ecclesiæ, abundantiam gratiæ tuæ, vt vnusquisq; in ea vocatione, in qua vocatus est, tibi dignè & laudabiliter famuletur.

Da Virginibus castitatem, Deo dicatis continentiam, Coniugatis sanctimoniam, Pœnitentibus indulgentiam, Viduis & Orphanis sustentationem, pauperibus protectionem: Peregrinantibus reditum: navigantibus portum: Iustis perseverantiam: Bonis vt meliores fiant: tepidis vt fervescant: malis & peccatoribus, qualem me esse dolens confiteor, vt convertantur.

Conserva Cælum in salubritate, terram in fertilitate: fructus in maturitate: Mundum in providentia omni ex parte sufficienti.

Respice omnes ægrotos, afflictos, tentatos,

tatos, agonizantes, & in aliquo periculo constitutos; & da illis auxilium, remedium, consolationem, prout expedit, ad gloriam tuam, & illorum salutem.

Supplex etiam oro te, benignissime DEVS, pro omnibus inimicis meis, quos intimè diligo: pro eis, qui me offenderunt, vel quos ego offendi, aut scandalizavi, vt eis in omnibus benefacias & pectora eorum sancto igne tuæ charitatis succendas.

Miserere omnium, pro quibus orare debeo, vel qui se commendaverunt indignis orationibus meis: omnium præcipuè Consanguineorum, Affinium, Amicorum, Benefactorum, & Parochianorum meorum; exaudi vota & preces eorum, & subveni eorundem ad te clamantium necessitatibus.

Oro te quoq; pro tali re, & negotio NN. vt felicem exitum sortiatur, si saluti nostræ profuturum esse cognoscis.

Memento etiam Domine Rex æterne, cui omnia vivunt, omnium fidelium defunctorum, præsertim NN. super quos invocatum est nomen tuum, extingue eorum ardorem optato rore misericordiæ

tuæ

tuæ, & citò purgatos, in conspectu tuo admitte.

Pro me ipso tandem infelicissimo peccatore, clementiam tuam humillimè imploro, vt per virtutem huius sacrificij, vniversa peccata mea dimittas mihi, quæ multiplicata sunt super numerum arenæ maris. Audi Filij tui Sangvinem altius clamantem, quàm sanguis Abel, & in virtute huius oblationis miserere serui tui, secundum magnam misericordiam tuam.

Et quia in hoc incruento Sacrificio, cruentum illud in Cruce peractum, sc: Passio & Mors Christi, repræsentatur; ideo celebraturus Missam, memoriam Passionis & mortis Christi, ante celebrationem debet facere, offerens illam Deo Patri, in suorum & totius mundi peccatorum remissionem.

ORATIO.
AD DEUM PATREM.
Passionem Christi repræsentans.

MEmoriâ memor ero Clementissime Pater, & tabescet in me anima mea, omniumq; dolorum & passionum, atq; acerbissimæ mortis Filij tui Domini nostri IESV Christi, cum gemitibus & lachrymis

mis recordabor, quia ipſe ſalus & vita mea ante oculos pependit in ligno, offerens ſe tibi in holocauſtum pro mea, & totius mundi ſalute.

Hanc autem Oblationem vivam, quam tu miſiſti in miſeratione multa ad Altare Crucis immolandam pro nobis, hanc eandem tibi offero, Paſſionem eius & mortem recolens ac repræſentans.

Recordare igitur humilitatis eius, patientiæ, charitatis, manſuetudinis & obedientiæ.

Reſpice labores eius, ieiunia, contemptus, contumelias, vincula, irriſiones & iniquam condemnationem.

Reſpice in faciem Chriſti tui, & intuere ſpecioſum formâ præ Filijs hominum, opprobrijs, iniurijs, verberibus, livoribus, contuſionibus, ita deformatum, ut non ſit ei ſpecies, neq; decor.

Vide Caput nobiliſſimum, ſpinarum punctionibus transfixum, & percuſſionibus attritum.

Vide Genas modeſtiſſimas ſputis fœdatas, alapis cæſas, ſanguine cruentatas.

Vide Oculos benigniſſimos lachrymis perfuſos, & ad ignominiam velatos.

Vide

Vide Os suavissimum siti ardentissimâ cruciatum, & felle atq; aceto potatũ.

Vide Dorsum, supra quod ædificaverunt peccatores, verberibus dilaniatum, & Humeros Crucis pondere oppressos.

Vide Brachia amabilissima funibus devincta & in Cruce crudeliter extensa.

Vide Manus innocentissimas durissimis clavis perforatas.

Vide Pedes delicatos, tot itineribus defatigatos, ac Cruci tandem affixos.

Vide Corpus venerabile pro nobis in in Cruce suspensum, vulneratum, mortuum & sepultum.

Vide Sanguinem pretiosissimum, vsq; ad minimam guttam pro nostra salute misericorditer effusum.

Hæc enim tibi offero & repræsento, omni quo possum devotionis affectu: suppliciter orans, ut ipsa pietas, quâ Filium tuum pro nobis tradidisti, te omnibus misereri compellat, pro quibus ille factus obediens vsq; ad mortem, Crucem subire dignatus est, Amen.

ORATIO ALIA
De Passione Domini.

DEVS

DEUS, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, à Iudæis reprobari, à Iuda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut Agnus innocens ad victimam duci, atq; conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati & Herodis indecenter offerri: à falsis testibus accusari, flagellis & opprobrijs vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, Cruci clavis affigi, in Cruce levari, inter latrones deputari felle & aceto potari. Tu Domine per has sanctissimas pœnas, quas ego indignus recolo & per Sanctam Crucem ac mortem tuam, libera me à pœnis inferni, & concedere digneris, vt hoc Sacrificium, quod ad laudem Nominis tui offerre intendo, sit mihi in remissionem peccatorum, Amen.

Hanc Orationem dicentibus Bonifacius VIII. concessit plenariam peccatorum remissionem, si per 40. dies continuò recitetur: quod & Benedictus XI. Papa confirmauit: si modò non est abrogatum.

AD CHRISTUM.

DOmine JESV Christe, ecce ego ad mensam dulcissimi convivij tui indignus

dignus accedam; respice in me oculis misericordiæ tuæ; & aufer à me omnes iniquitates & peccata mea, vt purificatus mente & corpore, dignè degustare Sancta Sanctorum merear.

AD SPIRITUM SANCTUM.

VEni Sancte Spiritus, veni & Cordis mei penetralibus potenter illabere; vt omnia vitia & defectus meos igne tuo consumas, ac omnia peccata mea remittas. Fac me dignum sacris Altaribus tuis ministrum: & præsta, vt hoc Divinum Missæ Sacrificium, quàm devotissimo celebrem affectu & reverentiâ, Amen.

AD B. V. MARIAM.

GLoriosissima Virgo MARIA, vnicum langventis animæ meæ solatium, precor te, vt mihi miserrimo peccatori assistere hâc horâ digneris, quâ pretiosissimum Filij tui Corpus & Sanguinem æterno Patri oblaturus sum, sicut amans & dolens eidem Filio tuo in Cruce pendenti, & se pro nostra salute offerenti, adstitisti.

Ne me despicias Mater misericordiæ, ob in-

ob intolerabilem peccatorum meorum fæditatem, neq; avertas faciem tuam à me, quem Filius tuus tanto amore dilexit, vt pro me mori dignatus sit.

Aperi ergo manum tuam, & imple me benedictionibus, quibus te Deus benedixit in æternum: vt te interveniente tremenda mysteria acceptabiliter perficere merear.

AD SS. ANGELOS.

SAncti Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, altissimi Principatus, Virtutes Sanctissimæ, invictissimæ Potestates, clarissima Cæli lumina Cherubim, Supremi Spiritus Seraphim, assistite mihi indigno peccatori, vt de virtute in virtutem proficiens, dignus sim Deum Deorum oculo fidei cernere, manibus contrectare, intus recipere, ac tandem in Patria cælesti clarè vobiscum videre.

JNVOCATIO OO. SANCTORUM.

SAncti Dei omnes, Sancti Patriarchæ & Prophetæ, Sancti Apostoli & Martyres, Sancti Pontifices & Confessores, Sancti Monachi & Eremitæ, Sanctæ Vir-

gines

gines DEO amabiles, Sancti mei Tutelares NN. & te Sancte N. cuius hodie memoriam veneramur, vestro confisus patrocinio, accedo nunc ad immolandum Corpus & Sanguinem Domini nostri IESV Christi; comitamini me euntem ad Altare, fulcite vestris meritis, ornate virtutibus; vt hoc Sacrificium, viva fide, ferventi charitate, & plenâ devotione perficjam.

ACTUS VARII
Ante Missam eliciendi.

ACTUS FIDEI.

CRedo Domine, & firmissima fide teneo, te in Augustissimo Sacramento Corporis & Sanguinis tui, verè præsentem esse Deum & Dominum meum.

Credo inquam, in eodem Sacramento Corpus tuum gloriosum, & Sanguinem preciosum pro nostra, omniumq; salute effusum, Animamq; benedictissimam adesse, ibiq; latere Divinitatem, & totam Sanctissimam Trinitatem: quia tu in Patre, & Pater in te est: & pro hac assertione millies mori paratus sum.

Credo

Credo etiam dulcissime JESV, quidquid credit à te edocta Sancta Romana Ecclesia, & quidquid illa damnat, ego pariter damno & anathematizo.

ACTUS SPEI.

SPero à te & peto, dulcissime Domine, omnia auxilia necessaria, pro consequenda mea perfectione & salute æterna, tuis infinitis meritis & Sanctorum opitulationi innixus.

ACTUS AMORIS.

AMo te DEus meus, vnicum solatium animæ meæ. Amo te, toto te, toto me, toto corde, tota mente, tota virtute. Utinam omni momento te ferventius semper amarem.

ACTUS GAUDII.

GAudeo & exulto ex omni Bono tuo, & gloria tua, eiusq; propagationem quàm maximam desidero.

ACTUS CONTRITIONIS.

O mi dulcissime DEVS, omnia peccata mea quantùm possum detestor propter te: paratus pro ijs plenissimè in hac vita satisfacere; vt anima mea, puris-

simum tuæ Maiestatis semper sit habitaculum.

ACTUS DILECTIONIS
Inimicorum, & remissionis Iniuriarum.

PArco Domine omnibus qui me aliquâ molestiâ affecerũt, & eos propter te sincerè amo.

ACTUS RESIGNATIONIS.

OFfero me Domine ad omnia mala, pœnæ iuxta beneplacitum tuum tolerandã: renuntians voluntati, iudicio, amori proprio, ac libertati, meq; tibi resigno cum omnimoda indifferentia.

ACTUS PETITIONIS.

TE deniq; Summum Bonum meum, suppliciter adoro, & precor per illam amaritudinem, quam sustinuisti pro me in Cruce, maximè in illa hora, quando Anima tua egressa est de benedicto Corpore tuo, vt miserearis animæ meæ in egressu suo.

Ante egressum de Sacrario ad Altare.

EGo volo celebrare Missam, & conficere Corpus & Sanguinem Domini nostri JESV Christi, iuxta Ritum Sanctæ Ro-

ctæ Romanæ Ecclesiæ, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, totiusq; Curiæ Triumphantis: ad vtilitatem meam, totiusq; Curiæ militantis: pro omnibus, qui se commendaverunt indignis orationibus meis, in genere & in specie, & pro felici Statu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ Pœnitentiæ, gratiam & consolationem Sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus, Amen.

Dicentibus hanc Orationem Gregorius XIII. Pontifex Maximus, Quinquaginta Annos, & Innocentius X. Ducentos Annos concessit Indulgentiarum.

JN CELEBRATIONE MISSÆ OBSERVANDA.

Celebretur itaq; hoc Augustissimum Missæ Sacrificium, cum summa veneratione, tam interna, quam externa, hoc est. In timore, humilitate, & compunctione cordis, in graui compositione corporis, & observantia rituum, ac Ceremoniarum.

Verba Consecrationis *prolaturus, poteris renovare Intentionem Actualem, ad quam celebras, mente his brevibus, vel ad instar.*

DA Domine, vt hæc Sacrosancta consecrationis verba, quam devotissimo proferam affectu, ad conficiendum Corpus & Sanguinem Domini nostri IESV Christi, quæ tibi pro N. tum pro peccatis totius mundi, & pro meis offero.

In Elevatione Augustissimi Sacramenti memento elicere varios affectus, e. g.

IESV Fili Dei vivi, Miserere mei.
IESV Fili Virginis MARIÆ. Miserere mei.
IESV Fili David. Miserere mei.
IESV Fili Hominis. Miserere mei.

Vel

Amo te DEVS meus, & adoro te toto Corde, totoq; affectu meo.

Ad

Ad Communionem *dum perueneris: post prolationem verborum* Domine non sum dignus, &c. *subsistendum aliquantulum, & intensissimo mentis affectu, hæc eliciantur verba.*

ITa est Domine Iesu Christe, indignissimus sum: quia omnibus peccatoribus, & ipsis damnatis deterior sum. Jndignus omni bono, & dignus omni malo. Fretus tamen pietate & misericordiâ tuâ infinitâ, te sumere præsumo. Quinimo, eâ Intentione & modo ad hanc sacratissimam Corporis & Sanguinis tui communionem accedo, vt amore amoris & gloriæ tuæ parvipendam (etiamsi possibile esset) quòd magnam damnationem mihi in hoc Sacramento sumerem, vt tantummodo pietas tua, magis clarescat per hoc, quòd te tam indignissimo non dedignaris communicare peccatori.

Christus S. Brigittæ dixit. Qui tali Intentione ad Communionem accedit; nunquam irreverenter accedere potest. *lib. 2. Cap: 11.*

Hîc intentionem habebis Corpus Christi sumere, per modum Viatici, ac si te hodie mori contingat.

Post

Post Corporis & Sanguinis sumptionem, dic cum S. Simeone. Nunc dimittis servum tuum Domine, &c. *Et cùm abluis & adornas Calicem, corde vel ore profer ter vel quinquies.* Laudetur SS. Sacramentum, *in Suffragium alicuius Animæ.*

ORATIONES Post Missam.

Finito Sacro recedens ab Altari ad Sacristiam, recitabis Canticum. Trium puerorum, *cum Psalmis & Orationibus. Tandem exutus vestibus sacris, recipiens te in locum, ab omni strepitu remotum, & semotis omnibus cogitationibus, plenas affectibus Orationes fundes, quæ tibi infra ponuntur.*

GRATIARUM ACTIO.

GRatias tibi ago, benignissime DEVS, quòd me vilissimum peccatorem, admittere dignatus es, ad vivificum Mensæ tuæ convivium.

Et quis sum ego? pulvis & cinis, vt apponeres erga me Cor tuum, inclinans Cælos tuos, & descendens, vt Sanguine tuo purissimo sordes meas lavares, & deficientem præ fame animam meam,

am, non mannâ de Cælo, ſed Carne tuâ immaculatâ reficeres, & ſatiares.

Si Cæli Cælorum te capere non poſſunt, & Angeli non ſunt mundi in conſpectu tuo? quis ego ſum, & quæ domus mea, vt ad me venire & indignis manibus meis contrectari, ac in me commorari volueris?

Quid in me invenisti? Rex tremendæ Maiestatis, quòd à Templo gloriæ tuæ traheret te, & deſcendere faceret in abyſſum miſeriarum?

Vos Angeli Sancti, vos omnes Electi DEI, venite, audite & narrabo vobis, quanta fecit DEVS animæ meæ! Cùm enim eſſem pauper, & abominabilis, nec auderem oculos meos levare ad Cælum, præ multitudine iniquitatum mearum, ille me de pulvere ſuſcitavit, erexit de ſtercore, vt ſederem cum Principibus, & de menſa eius comederem omnibus diebus vitæ meæ.

Gratias illi agite ex me, vos amici fideliſſimi; ego enim puer ſum, non annis, ſed ſenſu; & neſcio loqui, nec verba invenio, quibus poſſim, vt par eſt, tàm copioſum munus extollere & prædicare.

Sed

Sed tu Domine misericors, & immensæ bonitatis, ne despicias humillimam gratiarum actionem meam, quam tibi offero de paupertate mea. Sit tibi laus & gloria in perpetuas æternitates, pro tam excelso & incomparabili beneficio: tibi laudes concinant: tibi gratias agant vniversi populi, tribus, & linguæ, omnes Angeli & Sancti tui.

Jubilent tibi omnes Creaturæ, quæcunq; Cæli & terræ, & abyssi ambitu continentur, & laudem tibi perpetuam dicant.

Jubilent tibi & gratias agant, cor meum & anima mea, vires, sensus, Potentiæ, & omnia membra Corporis mei: tibi soli sit honor & gloria: a quo, per quem, & in quo omnia, qui es DEVS benedictus & laudabilis in sæcula sæculorum Am̃.

OBLATIO DEO PATRI.

SEvus tuus ego sum, Domine DEVS meus, & pro tributo servitutis meæ, aliquid tibi offerre vellem, quod Maiestate tuâ dignum & acceptabile foret.

Sed excedit omnem facultatem meam, debitum meum, quia tantùm tibi

debeo, quanti tu vales, qui infinitus es. Et ex me quidem nihil possum, nihil sum. Habeo tamen ex gratia tua donum præclarissimum, quod nullo modo recusare potes. Habeo dilectissimum Filium tuum, Dominum meum IESUM Christum, qui ita se mihi communicavit, vt ego in illo, & ille in me sit.

Quare verba Prophetæ tui aptissimè vsurpabo & dicam. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini Sancto eius.

Ipse enim Filius tuus, dignè pro me Nomini tuo benedicet, teq; amabit & glorificabit. Nam intra me sacramentaliter existens, factus est vnum mecum, & ego vnum cum illo.

Ipsum igitur offero tibi, velut Thymiama suavissimi odoris, ad maximam tui gloriam & honorem: in gratiarum actionem, pro vniversis beneficijs tuis: in remissionem peccatorum meorum, & totius mundi. Ad impetrandum mihi, & omnibus, pro quibus oravi, & orare debeo, omnia subsidia vitæ temporalis & æternæ: & pro animabus omnium fidelium defunctorum.

Susci-

Suſcipe Domine cum hac ſacratiſſima oblatione, animam meam, & Corpus meum: omnes vires & affectus meos, vt ſim perpetuum holocauſtum, iugitèr ardens Maieſtati tuæ. Præſta vt deinceps, nec membra, nec ſenſus, nec potentias, nec vitam habeam, niſi vt te amem & ſerviam tibi.

Offero me in ſervum tuum perpetuum, meq; totum reſigno in beneplacitum tuum, abiecta de me omni curâ & ſolicitudine. Quidquid mihi evenire permiſeris, à divina manu tua amantiſſimè ſuſcipiam. In tempore & æternitate id volo, quod tu ab æterno de me decreviſti, ſive proſperum illud ſit, ſive adverſum.

Vivat ſemper ſuper me, & regnet beneplacitum tuum, quod in omni verbo, actione, cogitatione, & leviſſimo quoquo motu implere deſidero. Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Deſunt enim mihi verba, quibus explicem affectum meum. Succende me itaq; Domine, inflamma cor meum, viſcera combure, vt iugitèr tibi ardeam, in te vivam, & in te moriar, Amen.

Peti-

Petitiones post Missam.

DUlcissime amator Domine IESV Christe, qui me Corpore tuo immaculato, & pretiosissimo Sanguine refecisti: ignosce obsecro indignitati meæ, & quicquid deliqui in huius Missæ celebratione misericorditer indulge. Agnosco enim præsumptionem meam, quia ad hoc tremendum mysterium accedere ausus sum, sine debita præparatione, reverentetia, humilitate, & charitate.

Respice tamen in me oculis misericordiæ tuæ, & supple excessu meritorum tuorum meam nimiam imperfectionem: vincat & absorbeat bonitas tua malitiam meam. Riga me lachrymis, quas fudisti pro me, ablue sanguine, morte vivifica.

Penetret amor tuus viscera mea & omnem alienum amorem expellat.

Jmprime cordi meo Crucis & humiliationis amorem, qui vt me redimeres, ne vno quidem momento sine Cruce esse voluisti.

Omnibus quoq; famulis tuis, pro quibus obtuli hoc Sacrificium, & pro quibus orare debeo, seu tu rogari vis, pacem

cem, salutem, & tuam benedictionem tribuere digneris.

Converte miseros peccatores ad te, revoca Hæreticos atq; Schismaticos: illumina Infideles te ignorantes. Adesto omnibus, qui in aliqua necessitate & tribubulatione constituti sunt. Esto propitius propinquis & Benefactoribus meis. Miserere omnium adversantium mihi, vel qui me aliquâ molestiâ affecerunt. Succurre illis, qui se meis precibus commendaverunt. Da vivis gratiam, da fidelibus defunctis lucem, & requiem sempiternam, Amen.

AD B. V. MARIAM.

O Serenissima & inclyta Virgo MARIA Mater Domini nostri IESV Christi: Reginà Cæli & terræ, quæ eundem Creatorem omnium creaturarum, in tuo Sancto vtero digna fuisti portare: cuius idem veracissimum Corpus & Sanguinem ego indignus sumere præsumpsi: rogo te per Virginalem humilitatem tuam, & per passionem & mortem eiusdem Filij tui, vt apud ipsum pro me misero peccatore intercedere digneris, vt quidquid in eius

obla-

oblatione benedictissima, ignorantèr, negligentèr, vel incautè commisi, tuis Sanctissimis precibus, mihi dignetur indulgere, Amen.

AD OMNES SANCTOS.

O Sancti, Sanctæq; Dei omnes, & Beati Spiritus Angelici, quos Devs mellifluo vultu suo semper lætificat; orate pro me. Saluto & veneror vos. Gratias ago Domino, qui vos elegit, & in suis benedictionibus prævenit. Eia, impetrate mihi veniam, & perfectam cum Deo vnionem, Amen.

ASPIRATIONES AD IESVM.

Et Varij Actus post Missam eliciendi.

O Dulcis Iesu, doleo de peccatis meis, vt quod mihi de vero dolore defuit, digneris supplere pro me: Deoq; Patri omnem dolorem, quem super meis, totiusq; mundi, peccatis habuisti offerre. Amo enim & amabo te ex hoc in æternum: non permittas me separari à te, sim totus tuus, & tu meus in æternũ.

Quis me seprabit à charitate tua, Domine

mine Deus meus? Non timor mortis, quia tu es vita mea. Non amor mundi; quia ipsum sperno, & omnes pompas eius. Non tribulatio; quia tu, dum tribulor, mecum es. Non fames; non nuditas, non paupertas; quia tu es cibus meus, operimentum meum, & divitiæ meæ. Non persecutio; non gladius; quia hæc dulcia mihi sunt, propter te. Non creaturæ; Quia ante nihil sunt.

Quando mihi, ò dulcissime Iesu, & toti mundo mortuus ero, vt in te solo vivam, & tu vivas in me?

Quid mihi est in Cælo? & quid volui super terram?

Refice Domine esurientem animam meam, accende frigiditatem meam igne amoris tui: illumina cæcitatem meam claritate præsentiæ tuæ.

Jn te suavissime Iesu sit omnis delectatio mea: tædeat me gaudij, quod est sine te: amara mihi sit omnis quies, quæ non est in te.

ORATIO DEVOTISSIMA.

Ante, vel sub Missa tam Laicis, quàm Sacerdotibus dicenda. Thomæ à Kempis.

R espi-

RESpice Clementissime Pater, de Sanctuario tuo, & de excelso Cælorum habitaculo, super Sacrificium acceptabile tibi. Intuere Sacrosanctam Hostiam Unigeniti Filij tui, quam offert vultui tuo pro nobis: Ipse est enim Summus Sacerdos, & verus Pontifex: qui non alienam hostiam, sed propriam carnem dedit, ad immolandum, in ara Crucis pro vita sæculi.

Propitiare mihi peccatori hodiè per hanc salutarem victimam. Esto exorabilis mihi infirmo homini, multùm labili, & vitioso, qui non sum dignus respicere Cælum, neq; calcare terram: quoniam Conditorem meum offendi sæpissimè, sæpiùs agendo, loquendo, cogitando, contra præcepta tua irreverenter, & insensatè.

Propter quæ omnia meritò incurri gravissimam indignationem, necnon omnium Creaturarum: accumulavi mihi Dei inimicitiam. Te enim offenso & despecto, iam vtiq; iusto iudicio, omnis adversatur creatura peccatori.

Sed omnipotens, & DEVS totius consolationis, miserere mihi servo tuo, ex

inti-

intimo corde pœnitenti & dolenti. Quoniam ex nihilo factus sum, & in peccatis concepus, vt fragilis homo cecidi.

Parce mihi Domine parce. Da veniam filio prodigo ad te reuertenti de silis quis porcorum, & stanti ante Thronum gloriæ, & postulanti manum misericordiæ tuæ à manè vsq; ad vesperam, donec descendat ros gratiæ, & pluuia consolationis super terram cordis mei, quod tam aruit ; & contabuit præ multitudine peccatorum.

Propter temetipsum, inclina DEVS meus aurem tuam mihi, & exaudi verba mea. Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te.

Scio, quia non propter opera mea facies, si quæ fortè videntur, sed propter bonitatem tuam Domine, quæ immensurabilis prædicatur.

Ampliùs autem exaudi me, per singulare meritum amantissimi & dulcissimi Filij tui IESU Christi, qui pro peccatoribus crucifixus est, & mortuus, vt omnia peccata suâ deleret passione.

Recordare alme Pater inæstimabilis charitatis eius, quomodo in mortem

tradi-

tradidit animam ſuam, vt vivificaret populum ſuum, in nullo ſibi pepercit, vt reis & damnatis in æternum parceret.

Memento amariſſimæ paſſionis eius, quam gravia & indigna ſuſcepit, qualiter ab hora matutina, vſq; ad exitum ſuum, in Cruce pro humano genere laboravit, clamans Sanguinis ſui effuſione, pro reconciliandis tibi peccatoribus, vt amicos de inimicis faceret, & de ſuis profugis, adoptionis filios.

O ſumme, & venerande, & colende Pater, hodiè tibi repræſento omnia ſigna Paſſionis vnici Filij tui, cum noſtra ſupplicatione, atq; ſuffragio omnium beatorum Martyrum, qui eandem paſſionem ſpecialiùs imitati ſunt.

Aſpice & cognoſce cuius ſunt ſigna amabilia, adoranda per ſæcula. Ecce Crux, clavi, lancea, fel, arundo, ſpongia, ſputa, flagella, Corona ſpinea, ſudor, ſanguis, alapa, virga, veſtis, columna, alba veſtis, purpura, & inconſutilis tunica. Iſta ſunt gratioſa ornamenta, & Regalia vexilla, quibus ad debellandas aëreas poteſtates proceſſit Vnigenitus tuus, in noſtræ carnis ſubſtantia.

Jsta sunt arma bellica, quibus mors devicta est, & humana natura redempta.

Per hæc igitur benedicta & gloriosa Passionis insignia, dimitte mihi omnia peccata mea.

Sit mihi hæc veneranda armatura, & decora, contra omnia vitia, & tentamenta singularis potentia.

Sit mihi quotidianum speculum, & dulcissimum animæ meæ solatium, tam dolorosum & flebile spectaculum.

Suscipe *Sanctissime* Pater gratissimam hostiam oblati Corporis Filij tui, quam tu ipse præparâsti tibi; ac in sempiternum satisfactoriam, dignam ac sufficientem esse voluisti, ad exhaurienda omnia peccata, tam contracta, quàm voluntate commissa.

Suscipe me pariter hodiè, in Sancta oblatione, quâ nulla sanctior est & præstantior, quæ tibi venerabilitèr offertur per manus Sacerdotum tuorum diebus singulis pró vivis & defunctis, ac pro cunctis necessitatibus nostris.

Proficiat hæc mihi, & omnibus Orationibus meis commendatis, quorum necessitas & fides nota est tibi, sive iam

præ-

præsentes, sive absentes, huic celebrationi existant.

Perveniant ad te preces eorum, & devotio cooperetur illis ad salutem, ineffabilis virtus & efficacia Sacramẽti, quod divinitùs est institutum, non humanitùs investigandum, sed piè colendum, fidelitèr adorandum, firmitèr credendum; & vsq; ad consummationem sæculi continuandum.

O pretiosissimum & suavissimum Sacrificium, quod tibi æterno Patri pro nobis obtulit coæternus Filius tuus, factus & ipse hostia vera, viva, salutaris, vnica & perfecta: qui erat solus Pontifex immaculatus, sanctus, & immunis ab omni delicto, non habens necesse priùs pro semetipso rogare, & hostiam secundum legem offerre, sed pro debitoribus mortis semèl moriens intercessit, non habentibus, nec invenientibus in universa creatura, quid pro delicto suo redderent.

Jam igitur non despero, neq; vltrà desperabo de venia & curatione peccatorum quotiescunq; etiam me peccatum apprehenderit.

Inveni enim fontem, quò sanandus accedam

cedam; Medicum, ad quem sanandus recurram.

Scio, vbi sit spes mea, & vniversa consolatio mea. Quia in passionibus, & vulneribus Domini nostri Iesv Christi, summa salutis, totaq; ratio spei meæ consistit & abundat.

Per omnia benedictus sis Devs meus, qui tam magna & immensa divinæ largitatis beneficia contulisti mihi. Istis namq; vehementèr me accendis ad regratiandum tibi, & dilecto Filio tuo.

Sed ô mi Pater fidelissime, quid agam, quia nil dignum in me reperis aptum dono gratiæ tuæ?

Verumtamen bone Pater, cuius sunt omnia dona bonorum, scio, quia nullius indiges, & tamen te parva nostra delectant, si ea devotè & spontaneè tibi videris offerri.

Dabo igitur aliquid, & modicum, quod mihi deperire potest, amori tuo sacrificabo. Nam tibi oblatum melius mihi manet, & tamen merces futura non deerit tam libenter offerenti.

Si auderet quis inhæsitantèr sese donare tibi, tu te vtiq; redderes illi, fieretq;,

quod

quod ore Capitis nostri dictum est: DATE, ET DABITVR VOBIS.

Nunc ergo si digneris accipere, ecce voluntariè me ipsum offero, & tuæ dispositioni animam meam, & corpus meum fidenter derelinquo.

Voluntatem quoq; propriam ex hac hora, & deinceps promptissimo corde resigno, quemadmodum dilectus Filius tuus CHRISTVS Dominus noster, suam tibi commisit voluntatem, vt nostram in sua abnegatione obtineret salutem, formam præbens sequentibus se fidelibus, brevi & pleno sermone quem dixit. PATER MI, NON SICVT EGO VOLO, SED SICVT TV, FIAT VOLVNTAS TVA.

Hoc itaq; exemplo, vehementer admonitus, te inspirante, & iuvante, denuò me resigno omnibus, quæ mundi sunt renuntians.

Carnis desideria despicio, omnes actus & nefaria consilia maligni Spiritus abijcio, tibi me despondeo: tuo adhærere servitio, cunctis diebus vitæ meæ concupisco, iamq; devotè id agere instituo.

Et cùm optimè sciam meam imperfectionem tibi cognitam esse, ideo in defecti-

fectibus meis, accuſo me, atq; ſanioris emendationis remedium multâ contritione à te expoſco, quatenùs benevolentiſſima manus tua, quæ omnem infirmitatem curat, & omnem impotentem roborat, meam indigentiam non derelinquat. Per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, &c.

OBLATIO
Sacrificij Miſſæ pro peccatis.

DOmine Sancte, Pater omnipotens, æterne DEVS; ego in plenam expiationem, & ſatisfactionem pro peccatis meis, offero tibi devotâ mente in hoc Diviniſſimo Miſſæ Sacrificio, Sacroſanctam Hoſtiam, per hunc Sacerdotem, conſecratam; offero inquam tibi, in odorem ſuavitatis, & laudem perpetuam, pro mea omniumq; ſalute.

Hæc Oratiuncula audientibus Sacrum, ab initio eſt recitanda.

DE

DE EXAMINE CONSCIENTIÆ.

Ante Prandium instituendo.

Quadrante vno ante comestionem meridionalem instituatur Examen conscientiæ, more virorum Religiosorum, transactæ diei rationem exigendo, & peccata sua ac negligentias, dolore sensus, & orationibus expiando, monente notæ sanctitatis & eruditionis Patre Drexelio, qui de cultu conscientiæ scribens, inquit.

Aut non prande, aut priùs conscientiæ tuæ rationem redde.

Habet hæc Recollectio, seu Examen Conscientiæ partes quinque.

1ma. Gratiarum actio. *Pro acceptis beneficijs.*

2da. Postulatio gratiæ, *ad dignoscenda peccata.*

3tia. Discussio Conscientiæ.

4ta. Dolor & detestatio peccatorum.

5ta. Propositum Emendationis.

Quod quidem Examen, sic vel similiter instituatur.

GRATIARUM ACTIO.

OMnipotens sempiterne DEVS, infinitas

nitas tibi ago gratias pro vniversis beneficijs tuis, quæ mihi indigno & abominando peccatori, hodiè & totâ vitâ meâ, cunctisq; hominibus & omni creaturæ contulisti. Sit tibi pro illis sempiterna laus, honor, & gloria, in sæcula sæculorum, Amen.

POSTULATIO GRATIÆ

O Immensa Maiestas: quantas habeo inquitates, peccata, scelera, & delicta mea, ostende mihi Domine DEVS meus?.

DISCUSSIO CONSCIENTIÆ.

Omnium transgressionum tuarum hic rationem facias, & singulas diei horas, ab hora quâ surrexisti, vsq; ad præsentem percurrendo, quibus peccatis, & quoties Deum offendisti, discutiendo.

Dolor & Detestatio Peccatorum.

DOleo benignissime IESV, de omnibus, & de singulis ac minimis peccatis meis: eaq; detestor & abominor super omnia mala, non solùm arido & imperfecto corde meo, sed corde etiam

& affe-

& affectu omnium verè pœnitentium, ex puro tui amore; quia Deus es infinito amore digniſſimus.

Propoſitum Emendationis.

FIrmiterq; propono, Domine Iesv, quælibet potiùs ſubire mala, quàm iterum peccato conſentire.

Hîc pœnam tibi aliquam aſſigna, Dominicam Orationem, vel Angelicam Salutationem: vel ter oſculando terram.

DE REFECTIONE CORPORALI.

Post factam Recollectionem mentis, pransurus vel cœnaturus, memento priùs famelicas in Purgatorio animas, spiritualibus cibare ferculis, dicendo pro illis Psalmum.
De profundis clamavi ad te Domine &c. *& in fine.* Requiem æternam, &c.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animas eorum.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

FIdelium DEVS omnium Conditor & Redemptor, animabus famulorum, famularumq; tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam, quam semper optaverunt, pijs supplicationibus consequantur, Amen.

Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace, Amen,

Præmissâ consueta benedictione Mensæ, quam in Breuiario pro diuersitate temporis habes, assidendo Mensæ, & appositos manducan-

ducando cibos, reuoca tibi in mentem illa M. Basilij verba, qui Hom: in S. Iulittam dicit. Accumbens Mensæ ora: esitans panem, Largitori gratiam rependito: bibis vinum; memento eius, qui illud tibi dedit, ad lætitiam, & infirmitatis solamen. *Proinde pias ad Deum de corde tuo aspirationes funde sic, vel similiter.*

Tu me cibis tuis, IESV benignissime, pascis, qui nec buccellam quidem panis mereor. O quanti pauperes fame pereunt! cùm mihi indignissimo nihil desit.

Vel.

O si tàm temperanter vires corporis reficerere possim, sicut tu ô bone IESV olim in terris.

Vel.

Tu, qui felle & aceto potatus fuisti, Christe IESV, da mihi veram temperantiæ virtutem, vt tàm mentis, quam corporis castitas nullum patiatur detrimentum.

Et si quod ferculum minùs gratum appositum fuerit; obmurmurare noli, sed illud felle & aceto Christi condias, & fragmentum panis, in Sanguine Lateris Christi intingas.

DE

DE EXAMINE CONSCIENTIÆ VESPERTINO.

Ad commendationem Examinis Conſcientiæ inſtituendi, non eſt multis laborandum verbis. Auſcultent verba ſupra citati Patris Drexelij, lib. de cultu Conſcientiæ dicentis. Peſtilentiſſimæ, & inexplicabilis audaciæ eſt; Conſcientiam ægram, & lethalis culpæ vel vnicæ ream, ad lectum deducere, ac plumis ſepelire: nec priùs Numinis offenſam deprecari, & cum Deo in gratiam redire. *Hæc ille. Tu verò tuis præ foribus optarem vt affigas verſus.*

Non priùs in dulcem declines lumina ſomnum,
Omnia præteritæ, quàm computes acta diei.

Examen Veſpertinum, tot, & eaſdem habet partes, quot, & quas habet antemeridianum. Cuius inſtituendi forma paulò prolixior traditur infra.

GRATIARUM ACTIO.

GRatias tibi ago, Domine Sancte Pater omnipotens æterne DEVS, pro vniuerſis beneficijs tuis, quæ mihi hodie, &

toto vitæ meæ tempore contulisti. Gratias tibi ago, quòd me ad imaginem & similitudinem tuam ex nihilo creâsti. Gratias tibi ago, quòd me pretioso Sanguine Filij tui redemisti. Gratias tibi ago, quòd me Christianum & Sacerdotem fecisti, ac in eo statu, ab innumeris peccatis præservâsti: vitæ perfectæ desiderium dedisti: bonos instinctus, ac inspirationes immisisti.

Gratias tibi ago, quòd emendationem meam patientissimè exspectâsti, longiusq; spatium tibi serviendi tribuisti. Pro quibus beneficijs, sit tibi laus & honor in infinitas sæculorum myriadas.

POSTULATIO GRATIÆ.

NUnc ergo Domine his beneficijs tuis, adiunge aliud, illuminans tenebras meas, & gratiam tribuens, omnia peccata mea & negligentias agnoscendi, detestandi, & emendandi: vt tibi deinceps per omnia placeam, & dignos faciam pœnitentiæ fructus.

DISCUSSIO CONSCIENTIÆ.

Hîc totius diei cogitata, dicta, facta, & omissa percurre diligenter & inquire, quid singulis

gulis horis, ab ultimo Examine elapsis, contra Deum, Proximum, & te ipsum peccaueris.

DOLOR DE PECCATIS.

IN his & alijs multis, quæ propter cæcitatem meam ignoro, peccavi coram te Domine DEVS meus, & pro omnibus bonis, quæ mihi tribuisti, mala & ingratitudinem meam retribui tibi. Doleo de his omnibus eaq; detestor, super omnia mala. Nec mea solùm peccata displicent mihi, sed & omnia totius mundi.

Postulatio Remissionis, & propositum Emendationis.

IGnosce mihi & omnibus, Pater misericordiarum: omnes enim offensas diei, & totius vitæ meæ, ac totiùs mundi in abyssum infinitæ misericordiæ tuæ proijcio: & per mortem dilecti Filij tui rogo te, dimitte quidquid peccatum est, & da gratiam, vt deinceps puriùs vivam; & sperans in adiutorio gratiæ tuæ, firmissimè propono, non peccare ampliùs, & mores meos emendare.

Jn satisfactionem verò pro peccatis meis, offero tibi DEVS meus, Passionem, Crucem, & mortem Domini mei IESV Chri-

Christi; merita B. V. MARIÆ, & OO. Sanctorum, illorumq; plenarias & tibi gratissimas satisfactiones: totam insuper vitam meam: animam meam, & corpus meum, ad omne beneplacitum tuum, in tempore & æternitate, cum vero & insatiabili desiderio, plenius Iustitiæ tuæ satisfaciendi, & hanc mulctam, quam mihi impono.

Mulcta autem sit.

Orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, aut aliquem Psalmum flexis genibus recitare, aut terram aliquoties osculari, cilicio per diem Carnem affligere: aut disciplinam facere: aut Cœna abstinere, aut Eleemosynam erogare.

ORATIONES.

Post Examen Conscientiæ.

SAlva nos Domine vigilantes, custodi nos dormientes, vt vigilemus cum Christo, & requiescamus in pace.

℣. Custodi nos Domine vt pupillam oculi.

℟. Sub vmbra alarum tuarum protege nos.

Digna-

Dignare Domine nocte istâ sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.

Jn te Domine speravi, non confundar in æternum.

℣. Domine exaudi Orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

VIsita quæsumus, Domine, habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle: Angeli tui Sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, & benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

RYTHMVS AD CHRISTUM.

JESU mi dulcissime,
JESU Rex amabilissime,
Tu mecum quæso maneas,
Hâc nocte mecum dormias.
Ut Corpus somnum capiat,
Et nunquam cor obdormiat

Præ-

Præsentem absens videat,
Et omne malum caveat.
Me Angelus custodiat,
Et Crucis signo muniat
Hinc Sathan procul fugiat,
Et IESVS solus maneat.
MARIA Mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et horâ mortis suscipe.

ORATIO.

AD B. V. MARIAM.

O Beatissima Virgo MARIA, Mater pulchræ dilectionis, protege me hâc nocte, sub vmbra alarum tuarum. Monstra te esse Matrem apud Filium tuum, Mater gratiæ & misericordiæ. Impetra mihi cor castum & purum, vt in eo quiescat hâc nocte dilectus Filius tuus Dominus noster IESVS Christus, qui pascitur inter lilia, & qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

AD SS. ANGELOS.

VOs Angeli Sancti humillimè deprecor, agite pro me excubias amoris, dum dormiam: præsertim verò, tu Sancte

ćte Angele custos gloriose, qui mei curam suscepisti, assiste mihi hac nocte, hostemq; meum comprime, ne noxiis phantasmatibus animi & corporis mei puritatem lædat, Amen.

AD SANCTOS.

ADeste & vos Sancti & Electi DEI; vos præsertim Patroni & Tutelares mei, S. Ioseph, S. Ioachim, S. Francisce, S. Antoni, S. Anna, supplete vices fragilitatis meæ, & custodite huius noctis vigilias super me. Deumq; pro me laudate, dum ego dormiam, & me ab omni malo defendite.

PROTESTATIO.

Ante ingressum Lecti.

SAnctissima TRINITAS, trine & vne DEVS, tu quoq; B. V. MARIA, Angele Custos, & Sancti Tutelares mei: protestor coram vobis, me nolle somno indulgere propter voluptatem, & propter inclinationis sensualitatem, sed ob naturæ necessitatem, & Divinæ ordinationis voluntatem, Amen.

Ingre-

Ingrediendo Lectum.

IN nomine Domini nostri Iesv Christi, eo dormitum, qui me pretioso Sanguine suo redemit, ille me custodiat, protegat, ab omni malo defendat, & ad vitam perducat æternam.

Recumbens in lecto exprime in fronte pollice literas Maiores I. N. R. I. *dicendo.*

JESUS NAZARENUS, REX JUDÆORUM.

Hic Titulus triumphalis, defendat me ab omnibus malis. S. Devs, S. Fortis, S. & Immortalis, Miserere mei.

Jn pace in idipsum, dormiam & requiescam.

Antequam consopiaris Somno.

DOmine Iesu Christe, quàm multi sunt miseri in toto mundo, qui & tecto, & lecto carent, tui nihilominus Filij & mei fratres, tuo pretioso Sanguine redempti, & multò meliores me. Da illis Domine patientiam, & mihi misericordiam, Amen.

Quòd si recedat somnus à te, imaginare, te vulneri Lateris Christi os tuum applicare:

atq; ibi attrahens & reddens spiritum, pronunciabis mente, hoc Nomen Sanctissimum JESUS *primam Syllabam attrahendo Spiritu, s.* IE *posteriorem respirando* SUS, *id faciendo donec obdormiscas.*

Noctu expergefactus, suspira.

DEUS propitius esto mihi indigno peccatori. *vel.* Educ de tenebris, & vmbra mortis, Domine, animam meam, & voca me in admirabile lumen tuum.

ORATIO AD JESUM

Eundo cubitum: vel manè de lecto surgendo.

O Dulcissime IESV, qui neminem vis perire, sed efficacia adhibes media, vt miseros peccatores, de lacu miseriæ, & de luto fæcis eripias, & statuas super petram pedes eorum, ac dirigas gressus illorum, suppliciter precor, vt impœnitens cor meum, & duritiem eius lapideam, digneris emollire secretis inspirationibus.

Fateor quidem me vilem, & miserum peccatorem, per totum vitæ meæ cursum, in grandia prolapsum esse peccata: verùm modò conversus, eâ quâ possum humi-

humilitate & dolore, proijcio me ad pedes misericordiæ tuæ, vt miserearis mihi, & respicias me illo misericordiæ tuæ oculo, quo Petrum Apostolum tuum respexisti.

Respice me itaq; vt egressus foras, ab occasionibus peccandi, amarè defleam peccata mea.

Respice me, vt exitus aquarum, deducant oculi mei, & lachrymis meis stratum cordis mei irrigem.

Respice me, vt intuitu tuo liquefacias durum & rigidum cor meum, quo te intimâ dilectione complectar: tecumq; vnus efficiar spiritu, per liquefactionem internæ vnionis.

Et precor te, ô bone IESV, per pretiosum, quo me redemisti, Sanguinem, per vincula, per mortem tuam acerbissimam, absolve me à vinculis peccatorum: confige timore tuo carnes meas, imò & cor meum charitate tuâ, & tene me non solùm hâc nocte (vel die,) sed toto vitæ meæ tempore gratiâ tuâ, ne iterum deserens te, deserar à te & cadam in profundum inferni; ne iterum offendam, quem æternum amare, laudare, & benedicere concupisco. ORA-

ORATIONES
Pro felici morte.

AD SS. TRINITATEM.

PAter æterne, per vitam & mortem æterni Filij tui, per omnem bonitatem tuam, te rogo: concede mihi, vt in bono perseverem, & in gratia tua moriar.

Bone IESV, per extremas illas tuas in Cruce voces, quibus Patri Spiritum tuum commendâsti: te rogo, suscipe Spiritum meum in fine vitæ meæ.

Spiritus Sancte DEVS, miserere mei, & Sancta inspiratione tua, me semper, & potissimùm in hora mortis meæ adiuva.

Sanctissima TRINITAS vnus Deus, miserere mei, nunc, & in hora mortis meæ. *Drex: in Horol: hora* XII.

AD DEUM PATREM.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Ezechiæ Regi, te lachrymabiliter deprecanti vitæ spatium protendisti, concede mihi indigno famulo tuo, ante diem mortis meæ, tantum vitæ spatium, vt omnia peccata mea valeam deplorare: & veniam ac gratiam, te miserante,

mere-

mereat accipere. Concede mihi quoq; per innocentem Filij tui mortem, felicem ac beatam horam, cùm anima mea discessura est è corpore.

AD JESUM.

DOmine JESU Christe, per illam amaritudinem, quam sustinuisti propter me in Cruce, maximè cùm anima tua benedictissima egrediebatur de Corpore tuo, miserere animæ meæ in egressu suo.

AD B. V. MARIAM.

SAluto te ô pretiosissima Parens Domini nostri JESU Christi Virgo MARIA, & commendo tibi mortem meam: vt per dolores animæ tuæ, quos passa es, quando vidisti Filium tuum in Cruce pendentem, dolentem, & animam exhalantem, digneris me in hora mortis meæ reddere securum.

AD SS. ANGELOS.

O Purissimi Spiritus, Angeli beatissimi, assistite quæso mihi migranti ex hoc sæculo, & potenter eripite me, ab immundorum Spirituum insidijs, & animam meam in vestrum consortium assumite.

mite. Tu præcipuè Angele bone, qui custos es meus fidelissimus, defende me in prælio, vt non peream in tremendo iudicio.

AD SS. PATRONOS.

O Amabilissimi Patroni mei, N. N. etiam in vobis spem meam & confidentiam colloco: Vestris obsecro deprecationibus, apud DEVM nunc mihi adsitis: præsertim verò in extremo necessitatis articulo.

Jmpetrate mihi quæso benignam sententiam, vt à Iudice meo audire merear. VENI BENEDICTE PATRIS MEI, ACCIPE REGNVM, QVOD PARATVM EST AB JNITIO MVNDI.

Pro auertenda morte repentina.

O Mi amantissime JESU, Dominus meus, & DEUS meus, per omnes labores, ac dolores tuos: per pretiosum Sanguinem tuum: per Sacrosancta Vulnera tua: per illas tuas, ô mi dulcissime JESU, supremas in Cruce voces, DEVS meus, DEVS meus, vt quid dereliquisti me: per validum illum clamorem tuum, PATER, IN MANVS TVAS COMMENDO SPIRI-

SPIRITVM MEVM, ardentiſſimè te rogo, ne ſubitò hinc trahas me. Manus tuæ, ô mi Redemptor, fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu: ne quæſo ſic repentè præcipites me. Da oro ſpatium pœnitentiæ, da felicem in gratia tua obitum, vt ego te totâ mẽte diligam, laudem & benedicam in æternùm.

PRO OBTINENDO SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO IN EXTREMIS.

O Dulciſſime ac benigniſſime Domine JESV Chriſte, ob tui Sacratiſſimi Corporis reverentiam, quod ex intacta Virgine MARIA ſumpſiſti, concede mihi miſero peccatori, vt Corpus tuum pretioſum animæ meæ, finalis ſit refectio.

Pater noſter: & Aue Maria.

O Dulciſſime & amantiſſime Domine JESU Chriſte, propter Nomen tuum Sanctiſſimum, concede mihi miſero peccatori, vt glorioſiſſimum Nomen tuum, quod eſt JESUS, ſit mea finalis locutio.

Pater noſter: & Aue Maria.

O Dulciſſime ac clementiſſime Domine JESU Chriſte, propter acerbiſſimam

ſimam Paſſionem tuam, concede mihi miſero peccatori, vt tuum in Cruce ineffabile tormentum, ſit mea finalis cogitatio.

Pater noſter: & Aue Maria.

O Dulciſſime ac miſericordiſſime Domine JESU Chriſte, propter tuam Sanctiſſimam vitam; concede mihi miſerrimo peccatori, omnes affectiones, cogitationes & operationes meas, in Sancta tua defigere vulnera.

Pater noſter: & Aue Maria.

O Dulciſſime ac piiſſime Domine JESU Chriſte, propter omnes miſerationes tuas: imprime cordi meo, tuæ mortis exinanitionem, & omnium vulnerum tuorum paſſionem.

Pater noſter: & Aue Maria.

Hæc Oratio eſt Hugonis de S. Victore, efficaciſſima, ad obtinendum, quod petitur, quam citat Drexelius in Prodromo æternitatis.

Pro auertendis pœnis Purgatorij.

Æterne Deus, hîc vre, hîc ſeca, modò in Purgatorio, & multò magis in æter-

in æternùm parcas. O Sanguis JESU, reſtingue flammas, quæ debentur mihi. O Mater DEI, ne obliviſcaris poſt mortem clientis tui.

Oratio S. Ignatij.

ANima Chriſti, ſanctifica me.
Corpus Chriſti, ſalva me.
Sanguis Chriſti, inebria me.
Aqua lateris Chriſti, ſalva me.
Paſſio Chriſti, conforta me.
O bone IESU, exaudi me.
Jntra tua Vulnera abſconde me.
Ne permittas me ſeparari à te.
Ab hoſte maligno defende me.
Jn hora mortis meæ voca me, & iube me venire ad te; Ut cum Sanctis tuis laudem te, in ſæcula ſæculorum. A.

ORATIO
Volentis diligere Deum.

DIligam te Domine, pro dono tuo & pro modulo meo. Si tantùm diligere non poſſum, quantùm diligere debeo? non poſſum tamen vltra, quàm poſſum. Potero verò & amare ampliùs, quando ampliùs donare dignaberis, Nunquam tamen

tamen tantùm te diligere potero, quantùm dignus es, qui diligaris. Imperfectum meum viderunt oculi tui, verùm tamen in libro tuo omnes ſcribentur, qui quod poſſunt faciunt; etſi quod debent, non poſſunt. *Bloſ.*

ORATIO.

In qua petitur efficax auxilium ad ſalutem.

ROgo Domine Salvator mi amantiſſime, vt Sacratiſſima Paſſio tua fiat mihi ad ſalutem non ſolùm ſufficiens, vti facta eſt omnibus hominibus, iuſtis, nimirum & impijs: verùm etiam efficax, ad culpam omnem abolendam, ad pœnam dimittendam, ad gratiam obtinendam; & ad gloriam conſequendam. Vti facta eſt ſolis tuis fidelibus, iuſtis & electis.

ORATIO.

In qua petit Caſtitatem & puras cogitationes.

DOmine JESU Chriſte, qui paſceris inter lilia, & inter animas caſtas habitas, earumq; caſtitate delectaris: tolle à me deſideria carnis immunda, & mi-

nus

nûs puras cogitationes repelle: indue animam meam ſtolâ pulcherrimâ caſtitatis, & corpus meum munditiæ virore nobilita: vt ex corpore & anima mea, in memetipſo, magnificum Spiritui Sancto, exſtruam habitaculum.

Petitio alia.

EGo N. coram caſtiſſima MARIA Virgine, Angelo Cuſtode, & tota cæleſti Curia, tibi DEVS cordis mei, quem vbiq; præſentem agnoſco, & ſanctè veneror, me ſiſto: & proteſtor: nolle me vnquam conſentire, non modò facinori committendo; ſed ne cogitando quidem, quantumvis adverſarij vim inferant. Deteſtor & execror omnes iſtas fœditates ac ſpurcitias. Fruſtra agis ſordide Tentator, Dæmon ſpurciſſime: malo enim me dehiſcat terra, caſtoq; mihi mille reſeret infernos, quàm vt turpi delectationi, vel ad momentum conſentiam. Ita decretum, ita conſtitutum eſt. Adeſto ô MARIA, ô Angele Cuſtos, ò Patroni caſtitatis meæ. Tuq; voluntatem meam confirma, bone JESU, quod per Sanguinem tuum ſupplex deprecor.

ORA-

ORATIO
ANTE COMMUNIONEM
Per modum Meditationis facienda.

ALtiſſime Domine & Deus meus, egò ſum creatura viliſſima, indigna, quæ beſtijs tuis cohabitem: & ecce tua infinita bonitas, mihi vult gratificari miſericordiâ tam inæſtimabili, vt habitaculum ſuum in anima & corpore meo ponat.

Sed quis es tu, ô bone JESV, quòd ad me venire dignaris? Tu es Dominus & Creator omnium, qui ex ſola bonitate & miſericordia tua, cuncta de nihilo creâſti; & ego quis ſum, ô DEVS omnipotens, qui audeo appropinquare tibi, ac intra corpus & animam ſumere? Scio quòd nihil ſim, niſi pulvis & cinis, eſca vermium, vas corruptionis, filius Diaboli, inferni hæres, ad omne bonum ineptus, ad omne verò malum promptiſſimus.

Quomodo itaq; ego creatura tam vilis, & immunda, audebo adire, & contingere Deum tantæ Maieſtatis?

Ecce Luna etiam non ſplendet, & Stellæ non ſunt mundæ in conſpectu tuo; Colu-

Columnæ Cæli contremiſcunt, & pavent ad nutum tuum! Altiſſimi illi Seraphim, contrahunt alas ſuas & in conſpectu tuo contremiſcunt, ſe viliſſimos fatentur vermiculos. Quæ igitur audacia! quæ temeritas! vt ego abiectiſſimus de plebe tua, audeam te Dominum tantæ Maieſtatis intra me recipere?

Quantus Præcurſor tuus in vtero Matris ſanctificatus, indignum ſe teſtatus, vt ſolveret corrigia calceamenti tui? Princeps quoq; Apoſtolorum exclamabat dicens. Exi à me Domine, homo enim peccator ſum. Quomodo ergo ego peccatorum Princeps facilè præſumam appropinquare tibi?

Si panibus propoſitionis, vivifici huius Panis vmbrà, nemini, niſi mundo & & ſanctificato veſci licuerat: quomodo Menſam hanc vitæ, Panem Angelorum manducaturus corde ſecuro accedam, qui procul abſum ab omni ſanctitate?

Scio ab hac menſa reiectum, ligatiſq; manibus & pedibus in tenebras exteriores proiectum, qui ſine veſte nuptiali charitatis acceſſerat: & quidnam aliud quoq;

quoq; exſpecto, ſi & ego ſine charitate acceſſero?

O oculi divini, quibus abditiſſimi animæ meæ patent ſinus: quid de me fiet, ſi meritis vacuus comparuero? Unde non immeritò horreo, & contremiſco, dum ad Dominum tantæ Maieſtatis ſumendum accedo!

Si ergo tot ſint rationes metuendi ex parte Maieſtatis tuæ! quot erunt dum peccatorum meorum perpendo multitudinem? memor enim ſum Domine, multorum graviumq; criminum meorum, quibus divinam tuam Maieſtatem ſupra modum offendi.

Ah dulciſſime JESU, quanto tempore divina Maieſtas tua oblivione ſummâ apud me ſepulta fuit, quando plus tranſitoria, quàm te dilexi.

Quotiès inſipienter in corde meo dixi: NON EST DEVS: tàm diſſolutè ſiquidem aliquandiu vixi, vt moribus profiterer, me nullatenùs credere, eſſe Deum: operam non adhibui, vt tuum mihi amorem conciliarem: non iuſtitiam tuam timui, nec veritus ſum dulciſſimam legem tuam prævaricari; etſi te præſen-

tem vbiq; scirem, graviter tamen in-conspectu tuo peccare non erubui. Quidquid desideraverunt oculi mei; non eis negavi, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur: & quod genus flagitij, quo se se anima mea non coinquinavit? quidnam aliud fuit vita mea, quàm assiduum contra te bellum?

O JESU misericordissime, verè pius, verè clemens· quoties pœnas & tormenta tua peccando renovavi, & patienter sustinuisti! Quoties te ceu alter Iudas, pro momentanea vendidi voluptate, & siluisti! Veniens itaq; nunc, vt te percipiam, quid aliud ago; quàm vt osculum tibi cum ipso Iuda præbeam? quo te tradam, postquàm iam vendidi.

Ah IESV clementissime! quomodo te recipere præsumam in statu tàm immundo & flagitioso constitutus? O Salvator & Redemptor animæ meæ: pudore suffundor in tali me cernens statu: & perpendens, qualiter ad te DEVM meum accedere præsumam, qui stas iterùm paratus, vt me benignè recipias.

O pijssime JESU, cui proprium est misereri semper & parcere, quid faciam, aut

aut quò ibo à facie tua, qui te iam horrendè offendi?

Si ad hanc Sacram Mensam accedam indignus? scio me mihi iudicium manducare, & bibere: si verò non accedam? prorsùs à te alienabor. Quò igitur has inter augustias deprehensus me vertam? meliùs est mihi ô Pater misericordiarum, & DEVS totius consolationis, vt revertar ad te, eâ quâ possum animi humilitate, magnam meam agnoscens indignitatem, & peccata quibus iram tuam merui.

O JESU suavissime, qui non vis mortem peccatoris, sed magis vt convertatur & vivat; ego peccatorum maximus, prostratus coram te fateor peccata mea multa, & magna nimis, quorum me seriò pœnitet, & doleo me ea perpetrasse, propter te.

Ah cur te offendi vnquam? cur peccata mea, super numerum arenæ maris multiplicare non erubui? vtinam ea non perpetrassem. Eheu feci tamen. Pijssime IESV, misericordia tua magna, non est à me abscondita. Quapropter rogo te, vt secundum miserationum tuarum multitudinem deleas iniquitatem meam.

Hæc est quæ mihi suggerit audaciam veniendi ad te, qualis qualis etiam sim. Novi quòd peccatores repellere non soleas, sed vocas eos vt convertas ad te. Nonne ipse idem es, qui dixisti. VENITE AD ME OMNES, QVI LABORATIS ET ONERATI ESTIS, ET EGO REFICIAM VOS. Hac piâ illectus vocatione, venio ad te pondere peccatorum prægravatus, vt me exoneres: venio laborans, & oneratus proprijs miserijs & tentationibus, vt me reficias. Dixisti quòd peccatores recipias, & cum illis manduces: En habes insignem hîc peccatorem, qui dolens & gemens te accedit, vt miserearis, vt sic ex puro te recipiat amore.

Veni igitur, ô JESU misericordissime, vt anima mea, tuâ mundetur præsentiâ, & amore accendatur.

ORATIO ALIA
Ante Communionem.

DOmine DEVS meus, Creator meus, & Redemptor meus, cum tali affectu, reverentia, laude & honore, tali gratitudine, dignitate, & amore; cum

tali

tali fide, ſpe, & puritate te affecto hodie ſuſcipere; ſicut te ſuſcepit & deſideravit Sanctiſſima Mater tua, glorioſa Virgo MARIA, quando Angelo evangelizanti, ſibi Incarnationis Myſterium, humilitèr ac deuotè reſpondit. ECCE ANCILLA DOMINI, FIAT MIHI SECVNDVM VERBVM TVŨ.

Et ſicut beatus Præcurſor tuus, excellentiſſimus Sanctorum, Joannes Baptiſta, in præſentia tua lætabundus exclamavit in gaudio Spiritus Sancti, dum adhuc maternis clauderetur viſceribus: ſic & ego magnis & Sacris myſterijs opto inflammari, & tibi ex toto corde me ipſum præſentare.

Unde & omnium devotorum cordium iubilationes, ardentes affectus, mentales exceſſus, ac ſupernaturales illuminationes, & cælicas viſiones tibi offero & exhibeo, cum omnibus virtutibus & laudibus ab omni creatura, in Cælo & in terra celebratis & celebrandis, pro me, & omnibus mihi in oratione commendatis; quatenus ab omnibus dignè lauderis, & in perpetuum glorificeris.

Accipe vota mea Domine DEVS meus, & deſideria infinitæ laudationis, ac im-

ac immensæ benedictionis, quæ tibi secundum multitudinem ineffabilis magnitudinis tuæ iurè debentur.

Hæc tibi reddo, & reddere desidero per singulos dies, & momenta temporum; atq; ad reddendum tibi gratias & laudes, omnes cælestes Spiritus, & cunctos fideles tuos, precibus & affectibus, invito & exoro.

Laudent te vniversi populi, tribus, & linguæ, & sanctum ac mellifluum nomen tuum, cum summa iubilatione, & ardenti devotione magnificent. Ut quicunq; reverenter, ac devotè Altissimum Sacramentum tuum celebrant, & plenâ fide recipiunt, gratiam & misericordiam apud te invenire mereantur, & pro me peccatore supplicitèr exorent.

Cumq; optata devotione, ac fruibili vnione potiti fuerint, & beatè consolati, ac mirificè refecti, de Sacra Mensa Cælesti abscesserint: mei pauperis recordari dignentur.

GRATIARVM ACTIO
Post Communionem.

Domi-

DOmine mi infinitæ bonitatis & magnitudinis, qui ad me creaturam adeò vilem, venire dignatus es: qui es Rex Regum, & Dominus dominantium: ad me! abiectissimum terræ vermiculum: qui tanto tempore fui vas, & receptaculum Diaboli: ad me! qui te toties offendi, totiès contempsi, contumelijs affeci, & crucifixi! ad me! qui tibi toties fel, pro potu suavi propinavi, quoties peccavi. Cui totiès cordis mei ianuam occlusi, & à me repuli!

Indignus itaq; sum visitatione tuâ, eò, quòd te tàm turpiter, à me reieci, hâc meâ non obstante ingratitudine, ad me venire, & sub tectum meum intrare voluisti: vt animam meam, præsentiâ tuâ dulcissimâ satiares, & à libidine revocares.

Non tibi suffecit, quòd mihi in hoc Mysterio Sanctissimam communicaveris Humanitatem tuam, sed & Divinitatis tuæ me participem facere voluisti.

O clementissime animæ Reparator, quibuscum maioribus divitijs, & pretiosioribus monilibus me locupletare potuisti, hoc Augustissimo Sacramento? cuius

cuius virtute omnia mihi condonantur peccata, & ex filio Diaboli, transformor in Filium DEI.

Ah JESU mi dulcissime, quas referam gratias? nescio. Quia si solus ego omnia Angelorum & Sanctorum, in Cælo & in terra corda possiderem, omnibusq; illis divinam Maiestatem tuam laudarem, vix minimam illius gratiæ, quam mihi gratificatus es, partem adæquarem. Quòd si ne pro minimo quidem beneficio gratias tibi sufficientes agere possim? etiam tot Creaturarum Choris mihi assistentibus & auxiliantibus, quid solvere potero, pro tot innumeris beneficijs?

Quid ergo retribuam tibi, ô pijssime JESU, pro omnibus quæ tribuisti mihi? Scio optimè scio, dulcissime JESU, te non indigere quopiam, præter gratiarum actione, pro beneficijs tuis nobis præstitis. Eas itaq; pro posse fragilitatis meæ tremendæ tuæ Maiestati ago, quòd Sacro Corpore tuo, & Sanguine animam meam nimis aridam dulcitèr refecisti, & immensum amorem tuum mihi indignissimo peccatori declarare voluisti.

Jn recompensam ergo visitationis tuæ, & signum reciproci amoris, tot beneficiorum tuorum vinculis constrictus, renuntio in posterum omni delectationi, & amori externo propter te suavissime IESU. Mundus ampliùs non erit meus: carnis voluptatibus posthac frui nolo: pompam sæculi, eiusq; vanitatem non sequar ampliùs. Tu solus dulcissime IESU, verum & vnicum Bonum meum apud me commoraberis semper.

Et licet ob multitudinem & grauitatem peccatorum meorum, quibus Maiestatem tuam sæpiùs offendi, oculos ad Cælum, & ad te, ô bone IESU, leuare vix audeam, nihilominus tamen de infinita tua confisus misericordia; nunc præsertim, cùm tuam Maiestatem, intra cordis mei habitaculum receperim, audebo non solùm veniam, sed etiam, efficax auxilium à te sperare.

Præsta itaq; dulcissime JESU, vt me emundes ab omnibus inquinamentis & peccatis meis, & vicissim omni virtutum genere adornes.

Jnsuper gratiam mihi concede, ut deinceps hoc SS. Sacramentum, tanta

cum

cum humilitate & reverentia, tanto cum timore & tremore, tanto cum dolore, cum pœnitentia peccatorum meorum, tanta, tanto deniq; cum amore, & charitate suscipiam; quantum Augustissimum hoc requirit Mysterium. Quidquid verò oculis tuæ Maiestatis displicet; in me mortifica, & fac me tuæ conformem voluntati. Deficiant vitiosæ cordis mei affectiones: emoriantur carnis meæ concupiscentiæ, ut solus amor tuus vivat in me, iugiterq; flagret, in medullis præcordiorum meorum, vt prægustatâ amoris tui dulcedine, nihil deinceps præter te sitiam.

ASPIRATIONES AD JESUM

Post Communionem.

DOmine JESU Christe, amem te solùm propter te: & nihil amem, nisi in te.

Domine JESU Christe, auge mihi laborem & dolorem, modò augeas & amorem.

Mi DEUS: omnia mea tua sunt, tibi omnia consecro.

Amo

Amo te mi DEUS, cupioq; ardentiùs amare. Hâc amoris flammâ cor meum penitus liquefiat.

Et quando mi DEUS, & quando hinc ad te evolabo?

Bone JESU, ego te toto corde diligere debeo, & cupio: tu pro me supplere digneris, quidquid ardentis desiderij & amoris mihi deest.

Domine JESU Christe, da mihi, vt divino beneplacito tuo, & in Sanctissima tua volunrate vnicè delecter, & in ea, super omnia requiescam.

Domine JESU Christe, vtinam nunquam te offendissem: vtinam posthac viverem iuxta gratissimam voluntatem tuam, tibiq; placeam.

Trahe me, dulcissime JESU, in Sanctissima Vulnera tua, quia hîc securus ero ab inimicis meis.

Jngredere anima mea, ingredere latebras sanctissimorum horum vulnerum, quæ sunt vnicum tuum in tentationibus, & adversitatibus perfugium.

O JESU noli me derelinquere, quia à te nunquam separari cupio.

Semper adhærere lateri tuo, nec à

Sancta

Sancta Cruce, ac pedibus tuis, unquàm discedere volo, quoadusq; te in Cælo videam.

Miserere mei DEVS, secundum magnam misericordiam tuam: etsi Domine minor sim, omnibus miserationibus tuis.

Benedictus DEUS in æternum. Benedictus centiès, benedictus millies, benedictus infinities; benedictus in æternùm, & vltra.

O Dominus meus, & DEUS meus, ego me tibi offero, in omne beneplacitum tuùm.

Non mea, sed tua fiat voluntas, ô amantissime JESU.

ACTUS AMORIS DEI.

Etiamsi damnandus sis in æternū.

O DEUS! ô Bonitas! ô dignitas Amoris! Dato, quòd sim reprobus, dato quòd te non sim amaturus in æternùm: hoc ipso per totam vitam meam amabo te, & ex amore tui serviam tibi. Si homines mundani eo etiam titulo inhiant

hiant, & adhærent viſcosè rebus temporalibus, quia illis non ſunt fruituri poſt mortem; quantò æquiùs ego fruar te in vita, ſi te non ſum fruiturus poſt mortem. Caream Cælo, & dato, quòd carebo te in Cælo: hôc ipsò nolo te carere in terra, ne ſim bis miſer & ibi, & hîc: ne ſim ante tempus infelix. Quidquid ſit tandem, committo tibi & iudicijs tuis: mihi ſufficit, ita adhærere tibi, vt non dimittam te, quamdiu fuero.

In exercit. P. Páwłow: de timore Iudiciorum Dei.

ASPIRATIONES ALIÆ.

QVis mihi det, ò Sponſe gratioſiſſime, vt ego moriar pro te, & omnes illæ infamiæ, improperia, & diriſſima tormenta, quæ mundus & infernus adverſus te excogitarunt ſuper me irruant? & pro his omnibus aliud præmium non habeam, quàm vt dulciſſimo & tenerrimo Cordi tuo placeam.

ALIA.

O miſericordiſſime Domine JESU, per Sanctiſſimam Vitam & merita

tua:

tua: per quinque vulnera, in Latere, Manibus & pedibus inflicta: per omnia Vulnera quæcunqué in Sanctissimo Corpore tuo, propter salutem nostram, poterant infligi, accepta: vniversa peccata mea, totius vitæ meæ, nunc & in hora mortis meæ, in inexhaustam misericordiam tuam recipe.

ORATIONES POENITENTIALES.

Præmonitio.

Has infra positas Orationes Pœnitentiales, in loco secreto, & ab omni strepitu remoto,, ante imaginem Crucifixi, quàm ardentissimo in te excitato deuotionis affectu, cum dolore cordis tui recitabis: vel adinstar Orationis mentalis meditaberis. Imaginaberisq́ Deum præsentem, Choris Angelorum, & Sanctorum stipatum, tanquam Iudicem in Tribunali sedere; & teipsum accusantem, lamentantem, ac dolentem, libenter audire. Item Beatissimam Virginem Mariam, *Angelum Tutelarem, & Patronos tuos, ad patrocinandum tibi præsto adesse.*

ORATIO ANIMÆ POENITENTIS.

QVis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt defleam vulnera animæ meæ? Heu me qui facta sum sicut Sodoma, & combusta sicut Gomorrha? Quis miserebitur cineri meo? Duriùs offendi quàm Sodoma; quia legem nesciens illa deliquerat; ego acceptâ gratiâ peccavi, in Dominum: quem propitiatorem inveniam? ô quam acerbus luxuriæ fructus, amarior felle, crudelior gladio!

Quomodo facta sum in desolationem: subitò defeci! perij propter iniquitatem meam, velut somnium surgentium, Ideo in Civitate Domini, vilificata est imago mea, deletum est de libro nomen meum.

Væ diei illi, in quo me infelicem genuit vterus, & lux ista crudelis accepit. Oportuerat me potiùs fuisse non natam, quàm sic in gentibus fabula fierem. Propter me confusio & improperium factum est famulis Domini, & eum dignè colentibus.

Lugete me montes & flumina, quia

fletûs

fletûs ego filia ſum. Exitus aquarum deducite oculi mei; operiat confuſio faciem meam; deficiat in dolore anima mea, & anni mei in gemitibus.

Meum peccatum, & mea iniquitas non ſunt ſimilia offenſis hominum.

Quàm horribilis eſt hæc impietas, carne polluere Virginem, & Caſtitatem profeſſam! Mentitus ſum in Dominum Altiſſimum. Verumtamen clamabo ad Dominum, DOMINE NE IN FURORE TUO ARGVAS ME, NEQ; in IRA TVA CORRIPIAS ME. QVONIAM SAGITTÆ TVÆ INFIXÆ SVNT MIHI.

ORATIO.

Agnitionem, & deprecationem peccatorum continens.

QVis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt defleam noctes atq; dies peccata mea, meamq; ingratitudinem,

Quomodo potero ſine lachrymis meminiſſe: quoties potuiſti me peccantem, & in peccatis perſeverantem occidere, & nihil mihi mali accidit.

Quid

Quid factum esset de me, si, quo tempore multos alios abstulisti, ad infernum deturbâsti, etiam me abstulisses? quàm strictum fuisset mihi præparatum iudicium, si iustitia me, tot delictis gravatum deprehendisset.

Quis tunc, ô Domine, ligavit manus Iustitiæ tuæ? Quis, cùm ego dormiebam, pro me deprecatus est?

Quis continuit flagellum indignationis tuæ? quando ego illam meis peccatis provocabam.

Quid tibi placuit in me? Cur mitiùs mecum ageres, quàm cum alijs, qui in medijs periculis, atq; adeo in fervore iuventutis, è medio sublati sunt?

Malitia mea contra te crescebat quotidie; & tua vicissim quotidie erga me, crescebat misericordia. Ego peccabam: tu me exspectabas. Ego fugiebam; tu me insequebaris, & in medio peccatorum meorum, multas à te bonas inspirationes, multasq; pias reprehensiones, accipiebam.

Quia me creâsti, & conservâsti, debeo tibi omne quod sum.

Quia verò me redemisti, & mihi te-

metipsum dedisti in præmium, quid reddam tibi?

Ego multa feci digna, cur me condemnes; tu autem modum non amisisti, quô me salves.

Quid igitur faciam? nisi, vt me ante pedes tuos, prosternam, & misericordiam petam?

Agnosce, Domine, errantem hanc Oviculam, ecce venio totus vulneratus, tu potes me sanare. Totus cæcus, tu potes me illuminare; totus mortuus, tu potes me suscitare. Maior est misericordia tua, quàm mea iniquitas, & plùs potes remittere, quàm ego peccare. Noli igitur me repellere, nec respicias multitudinem peccatorum meorum, per infinitam misericordiam tuam, Amen.

ORATIO.

Quæ instituitur per modum Confessionis Spiritualis: in qua se accusat Pænitens, dolet, & proponit emendationem & pœnam.

DOmine JESU Christe, ego sum ille peccator, nequissimus, miserrimus, abominabilis, qui Maiestatem tuam, tot

tot tantisq; criminibus offendi, vt illa enumerare non sufficiam, sicut arena maris præ multitudine numerari non potest. Propterea Domine Deus meus, confundor, & erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates meæ multiplicatæ sunt super caput meum, & delicta mea creverunt vsq; ad Cælum.

Hic ponderabis dignitatem Personæ offensæ.

Peccavi contra te Deum meum, qui es summum bonum meum. Dereliqui te fontem aquarum viventium, & fodi mihi cisternas dissipatas, nec me humiliavi sub potenti manu tua, cùm in te solo vivere, ac moveri possim.

Defeci à supremo Principe, & Dominantium Domino, infami rebellione & perfidiâ meâ: adversus Sponsum animæ meæ adulterium commisi: innumeris beneficijs ad tuum contemptum abusus sum: ô quanta impudentia & perversitas mea inexplicabilis!

Hæccine reddidi tibi Domino meo stultus & insipiens? Nunquid non es tu Pater meus, qui possedisti me, fecisti, & creâsti me?

Quânam fronte attollam iam oculos meos ad vultum Patris tam boni, tam malus filius?

Pudet indigna gessisse generi meo; pudet tanto Patri vixisse degenerem. Sed quam ob causam peccavi contra te, amantissimum Patrem indignus filius? Ob modicam & fœdam Carnis voluptatem: ob punctulum honoris: ob vile lucellum: ob res deniq; vilissimas, & instar fumi prætereuntes. O stoliditatem & malitiam meam! Dominum Deum factis negavi, & Diabolum ei præposui, idq; tanta temeritate & audaciâ, acsi esset Deus ligneus, qui scelera mea nec videre posset, nec vindicare.

Proruptio in admirationem.

Quâ ratione modò in hoc misero statu meo vitam hilarem & tranquillam ducere potero? Quomodo me Creaturæ omnes hactenus sustinebunt? quinimò adversum me omnes vnanimitèr conspirabunt, quarum Conditorem tam enormiter offendi? Quo pacto tu Deus meus, tam amantèr & patienter poteris me tolerare, qui tot millena mil-

lia aliorum æternis cruciatibus addixisti, ob peccata & gravitate, & numero meis multò minora.

Conteritur & proponit.

Sed vt video, misericordissime Deus, aquæ multæ peccatorum meorum, non potuerunt extinguere charitatem tuam, quam tot tantisq; beneficijs declarare dignatus es. Ideo memoriâ memor ero tantæ tuæ charitatis, & tabescet in me anima mea præ desiderio tui.

Utinam sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant hodie peccata & imperfectiones meæ, à facie tua Deus meus.

Lavi pedes meos, nunquid vltra inquinabo eos? Non faciam bone Iesv, gratiâ tuâ, sed diligenter cavebo, ne quid in me displiceat purissimis oculis tuis.

Ambulabo coram te corde perfecto, & gratissimum mihi erit, quidquid Sanctissimæ voluntati tuæ libitum erit; omnes peccandi occasiones evitabo; & virtutibus studebo, quas antea per vitia contraria violavi, vt, in quo te magis contempsi, magis honorem. Id profiteor hodie coram te, & vniversa Curia tua

Cælesti, testem illam invocans desiderij mei, & adiutricem infirmitatis meæ.

Pœnæ assignatio

Verumtamen quid faciam tibi pro delictis meis Domine DEVS, Pater misericordissime vitæ meæ? Nulla est condigna pœna demeritis meis: nulla, quâ possim satisfacere malis, quæ impudenter commisi.

Si hoc tibi gratum scirem, libentèr me morti traderem, in pœnam delictorum meorum. Sed quia me interficere non possum, nec debeo: tu me miserrimum occide: aut mitte Angelum gladiatorem tuum, qui de me vindictam sumat.

Arma Creaturarum tuarum exercitum contra me, vt vindicent causam tuam. Irruant in me omnes ægritudines, dolores, adversitates, iniuriæ, contemptus, calamitates, omnia lubenti animo sustinebo per gratiam tuam dummodò in fine placatum mihi ostendas vultum tuum.

Vultum tuum Domine requiro, quo Civitas tua lætificatur, vultum tranquil-

lum

lum & iucundum, quo Angeli beatifi-
cantur. Ostende mihi faciem tuam, so-
net vox tua in auribus meis, vox gaudij
& consolationis, quâ dicas servo tuo.
REMITTVNTVR TIBI PECCATA TVA: VA-
DE IN PACE.

ORATIO.

*Quâ pœnitens dolet de peccatis, & emen-
dationem proponit.*

VÆ mihi peccatori, filio scelerato,
qui dereliqui Dominum, & abalie-
natus sum ab eo retrorsùm. Peccavi
quid faciam tibi, ô Custos hominum,
quare posuisti me contrarium tibi, & fa-
ctus sum mihimetipsi gravis? Heu mihi,
quia iniquitates meæ, diviserunt inter
me, & Deum meum, & peccata mea,
absconderunt faciem eius à me.

O Domine DEUS meus, qui me fecisti,
cùm non essem; refecisti verò, cùm per-
ditus essem; reminiscere obsecro mise-
rationum tuarum, & vide quàm fragile
vas condideris, nec patere illud esse in
contumeliam tuam.

O Iudex optime, iudica hîc causam
meam, & discerne illam: secundum mi-
seri-

ſericordiam tuam, memento mei propter bonitatem tuam.

Quæ enim vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in corruptionem? Non enim infernus confitebitur tibi, neq; mors laudabit te. Vivens, vivens confitebitur tibi, ſicut & ego hodie.

O ſuaviſſime animarum Medice, miſerere mei, quoniam infirmus ſum, ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea.

O Pater miſericordiæ, peccavi in Cælum, & contra te, & iam non ſum dignus vocari filius, ſed quomodo miſeretur Pater filiorum ſuorum; miſereris Domine timentibus te, quoniam ipſe cognoſcis figmentum noſtrum, & fragilitatem.

Tu dixiſti: ſi mulier poteſt obliviſci infantem ſuum, ita, vt non meminerit filij vteri ſui: ego tamen non obliviſcar tui. Sed quomodo obliviſci illius poteris, quem non aluiſti materno lacte, ſed redemiſti Domine in ſangvine tuo, vulneratus propter iniquitates meas, & attritus propter ſcelera mea.

Nolo igitur committere, ô bone Jesv, vt ama-

vt amarissima illa mors, & Passio tua, quam pro vita & salute mea sustinuisti, in me irrita sit.

Ah quàm doleo! hanc ob peccata mea, tibi inflictam esse! Quàm ingratus essem, nisi ab his abstinerem, propter quæ, tam horrenda perpessus es, & quæ ipsis crudelissimis tormentis tuis, tibi longè sunt acerbiora.

Detestor, ô Domine, execror, aversor, quicquid tibi tantopere displicet, quicquid me tibi invisum facit, quicquid adeo æterno Patri detestandum est; vt nec proprio Filio, in acerbissimis cruciatibus pepercerit; quicquid deniq; me, à DEO summo bono tristissimâ divisione separat.

O Domine respice in me, & miserere mei, salvum fac filium ancillæ tuæ, Matris Deiparæ, cuius intercessionem, humillimè postulo. Fac mecum signum in bonum, & per te eripiar à tentatione.

Jllumina oculos meos, ne vnquam, obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum. Ecce nunc constitutus ante oculos Divinæ Maiestatis tuæ, totiusq; Curiæ Cælestis

lestis, iuro, & statuo, custodire in postc-rum iudicia iustitiæ tuæ: Concupivit enim anima mea desiderare iustificationes tuas omni tempore. Et nonne subiecta erit anima mea, quoniam ab ipso salutare meum?

Quomodo potero non amare Patrem, tanto amore me prodigum filium suum, ad paternos rursum amplexus invitantem? quomodo sanguinem illum, pro me, meaq; salute, tanto dolore & amore fusum, aspernari?

Væ indignissimo mihi, atq; ingratissimo, si neglexero; si Patris invitantis, Iesuq; de Cruce inclamantis, & offerentis misericordiam, non audiero. Ecce enim nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis; posthac miserendi tempus non erit ampliùs; sed dies iræ, dies iudicij & iustitiæ.

Perfice igitur ô Domine gressus meos in semitis tuis, vt non moveantur vestigia mea. Fac vt serviam tibi in timore, & exultem tibi cum tremore.

Renuntio ex animo omnibus carnis illecebris, & cupiditatibus meis, & accido ad pedes Crucifixi Domini mei: illi serviam, illi vivam, illi moriar,

ORATIO.

Pœnitentis malæ vitæ.

PEccavi benignissime IESV, & multiplicatæ sunt iniquitates meæ, super numerum arenæ maris: à planta pedis vsq; ad verticem capitis non est sanitas in me: & nisi gratia tua adiuvaret me, crescerent quotidie delicta mea vsq; ad Cælum.

Quomodo comparebo ante conspectum Divinæ Maiestatis tuæ, quando separabitur anima mea à corpore, rationem totius vitæ meæ tibi iustissimo Iudici redditurus? Quæ mea mecum portabo merita? quibus me defendam medijs ante Tribunal tuum ô iuste Iudex vltionis!

Alij quidem Domine IESU consolabuntur sese vitæ suæ innocentiâ: alij magnis exercitijs & asperâ vivendi ratione; alij atq; alij, alijs & alijs studijs suis, & meritis innitentur? Sed hæc omnia in me nulla sunt.

Verùm scio quid faciam misericordissime Deus. Totam spem & consolatio-

nem meam, in tua Passione, in tua satisfactione & expiatione, in tuis meritis collocabo, & repositam habebo. Totum me, & animam meam, in sanguinolenta vulnera misericordiæ tuæ reclinabo, obsecrans, vt in ipsis cruentis vulneribus tuis Divinâ virtute tuâ omnia peccata mea abluas, pro tui laude, & mea indigentia ac necessitate. Et, quis desperet, qui tua vincula, Columnam, flagella, Spinas, Crucem, cruentos clavos, felleum acetum, & diram intuetur lanceam?

Quamvis itaq; in me nulla sint merita; sed pro ijs tibi Domino meo misericordissimo, tua inquam verbera, opprobria, vulnera, & tormenta offero. Cum Magdalena ingemisco, & tundo pectus meum cum Publicano, ne repellas me ad tuos pedes prostratum. Permitte Domine IESV, vt meæ lachrymæ misceantur tuo Sanguini, & misereberis. Exue personam Iudicis, & indue Patris.

Permissum sit tibi Domine ex me, vt me vel brevi, vel post longa annorum curricula, tollas è medio. Etiamsi hac

horâ

horâ discedendum esset de Corpore, atq; in tui vergeret laudem, vt annis quinquaginta, flammis purgatorijs cruciarer: illicò me in tui venerationem sub pedes tuos abijcerem, animoq; libenti, in honorem tui pœnas illas exciperem, diceremq; Benedictus ignis ille expiatorius, in quo tui laus in me perficitur.

ORATIO.

In qua Pœnitens accusat Animam suam, ob derelictum Deum: & excitat eandem ad redamandum eum.

INfelix ego sum, ô dulcissime IESV, quòd Anima mea, quam tu despondisti tibi pretio Sanguinis tui, dereliquit te & oblita est tui diebus innumeris.

Quid agis? ô Anima stulta! nonne consideras Deum tuum esse Summum bonum? quod omnia appetunt.

Quare ergo tam gravi errore seducta, magis voluptate bonorum apparentium traheris? verum autem, æternum, & incommutabile bonum nimis stultè relinquis?

Induratum est, vt video, cor tuum, ô Anima mea, dum resistis melle dulciori Spiri-

Spiritui Dei. Ille autem secundum divitias bonitatis infinitæ quærit emollire viscera tua secretis inspirationibus suis.

Tu fugis eum persequentem te non odio; sed tuæ salutis desiderio: & ipse tibi fugienti, quasi ex insidijs occurrit, vt expansis brachijs amplectatur te, & vincat feritatem tuam infinitâ mansuetudine sua.

Usquequò durum cor tuum calcitrabit, contra stimulum fortissimi amoris eius?

Nonne potuisset te damnare? per iustitiam suam, quia impiè egisti, & confregisti iugum eius, & dixisti, NON SERVIAM: & tamen sustinuit te in multa patientia, & desiderio æternæ vitæ tuæ. Si fortè converteteris ad illum, & reconciliareris clementissimo Patri eius.

Quid ergo moraris? ô Anima mea! Cur differs de die in diem? reverti ad suavissimam pacem & dilectionem eius: vt resolvat glaciem tuam igne amoris ardentissimi sui, & reformet deformitatem tuam?

Convertere itaq; ô Anima mea! convertere filia prodiga in requiem tuam, & ille

& ille revertentem te de regione longinqua, amplectetur te, dicetq; servis suis: Citò proferte stolam primam: date Annulum in manus eius: & calceamenta in pedibus eius.

Commovebuntur quippe viscera eius super te dulcissima filia sua, quam genuit; lætabitur super conversione tua, quasi qui invenerit spolia multa. Delectatur enim miserendo, & præ magnitudine bonitatis suæ ad miseriam & gemitum Pauperum, liquescit anima eius.

Semel suspiravit David servus eius dicens: Peccavi: & statim transtulit ab eo peccatum eius.

Paucis gemitibus accusavit se Publicanus; qui multùm offenderat eum: & citò descendit iustificatus, & lætus in domum suam.

Decem Millia Talenta debebat illi servus nequam: qui procidens rogavit illum: & dimisit eum liberum, omneq; debitum donavit ei.

Mulier comprehensa in adulterio, stetit timens, & instanter accusata in conspectu eius: qui suavissimè respondens: à damnatione eripuit eam.

Magda-

Magdalenæ peccatrici ostendit faciem lætam, & celeriter pepercit ei: ita, vt Pharisæus, qui ipsum ad prandium invitaverat, miraretur.

Latro, qui iuxta illum crucifixus fuit, verbo vno emollivit viscera eius.

Quare ergo? ô Anima mea! tot testimonijs probata bonitas eius non placet tibi? sed quæris solatia peregrina.

Fuge; ô Anima mea! fuge consortia peccatorum; & per veram pœnitentiam require faciem eius.

Ecce stat ad ostium tuum, & pulsat, cupiens introire, & implere bonis ineffabilibus domunculam cordis tui. Non videatur tibi durum recipere hospitio Deum, Redemptorem & Amicum tuum.

Certè si tu pulsares semèl portā Domus eius, ad primum ictum festinaret aperire tibi, sicut aperuit David servo suspiranti ad correptionem Nathan Prophetæ sui.

Convertere itaq; opportunâ pœnitentiâ tuâ ad pacificum Regem tuum, & ipse tanquam Mater amantissima diliget, & amplectetur te, nutrietq; infantiam tuam dulcissimo lacte suo.

ORA-

MEDITATIO

Animæ Pœnitentis, ſeipſam coram DEO *accuſantis.*

O Pater Cæleſtis, ego ſum fæda illa, & impudens meretrix, Sponſa quidem tua, ſed quæ pluribus annis, memetipſam mundo, carni, & Diabolo proſtitui, fidem datam violavi, & nefandis adulterijs ac ſceleribus meis, tam multis, vt numerari nequeant, imò nec ab omnibus creaturis, quâvis linguâ præditæ forent, enarrari valeant, tuam Divinam Maieſtatem ad iram provocavi.

O Pater peccavi ſuper numerum arenæ maris, multiplicatæ ſunt iniquitates meæ, Domine, & non ſum digna intueri, & aſpicere altitudinem Cæli, præ multitudine iniquitatum mearum, quia excitavi iracundiam tuam, & malum coram te feci.

Hîc enumerat generalia Beneficia ſibi præſtita à DEO.

O quàm ſum ingrata & ſcelerata anima, quæ cùm in meipſa nihil eſſem, à te Patre benigniſſimo de nihilo creata, atq; ad imaginem & ſimilitudinem tuam

condita sum: vt in præsenti vita per gratiam te possidere, & in futura per gloriam te perfrui valeam. Et nihilosecius ego misera & infelix, severissimum tuum iudicium, iustitiamq; in me vsq; adeo provocavi, vt nisi tu Domine mihi succurras, meliùs mihi fuerit, nusquam Solis huius lucem aspexisse, aut in mundum editam fuisse.

Enumerat speciatim s. mortem, quam pro se subijt.

NUnquid non es tu Christe crucifixe, summus ille Beatorum Spirituũ Rex & Imperator, ac DEUS potentissimus, qui te adeò demisisti, ut mei causâ homo fieri, in hoc mundo triginta tribus annis tanquam abiectus, & infimæ conditionis homuncio conversari, persecutionibus, adversitatibus, & contumelijs exerceri dignatus sis.

Sed nec his contentus fuisti, quinimo eò te humiliasti, vt Deus cùm esses, homo fieres, & mei amore, innumera convicia, cruciatus, & tormenta sustinere, atq; adeò toto Corpore concidi, & vulnerari voluisti, vt à planta pedis vsq; ad

verti-

verticem non fuerit in te ſanitas: & vulneribus ac livoribus ita deformari, vt tanquam leproſus & noviſſimus virorum reputatus ſis.

Quid igitur agam miſera? quid infelix dicam? quò me conferam? quandoquidem tam immanium cruciatuum, afflictionum, contumeliarum, tormentorum ac pænarum cauſa, ego ſum? Quæ non modò nullam tibi gratiam per eorum omnium quæ pro me feciſti & pertuliſti agnitionem rependi: ſed etiam benignitatem & Maieſtatem tuam, ſordibus & immunditijs meis provocavi: adeoq; commerita ſum, contra quam omnes creaturæ arma capiant, vltionem ſcelerum, quibus altiſſimam, ac tremendam Maieſtatem tuam offendi, à me expoſcant.

Ad ſumendam vindictam inuocat Creaturas.

O Cælum! ô terra! ô aqua! ô ignis! ô lupi! ô Vrſi! ô Tigrides! ac cætera immanitate ſingulari animalia, venite, dilaniate, ac diſcerpite miſerum hoc Corpus. O Serpentes! ô Dracones, cunctæq; venenoſæ beſtiæ, venite, mordete,

dete, ac dilacerate me impiam, & sceleratam. O Creaturæ DEI omnes, adeste adversum iniquam & flagitiosam hanc animam, & vltionem iniuriarum & offensarũm, quibus Dominum, Creatorem & Deum vestrum, impudentèr, ac nefariè affecit, ab ea exposcite.

Beneficia particularia sibi collata enumerat.

O Quantis, præter generalia prædicta, specialibus beneficijs, iniquam & ingratam hanc animam dicam, an cadaver, aut fædam vilissimamq; bestiam, tibi obligâsti; dulcissime IESV!

O ingratissima & iniquissima anima mea, considera tecum paulisper; quàm multos te digniores & potentiores, & te meliùs per Divinam gratiam, ad suscipiendum influxum Cœlestium Charismatum præparatos, DEVS in miserijs & sceleribus suis reliquit, à quibus te, per summam clementiam suam liberavit.

Hîc admiratur, quòd DEVS eam respexerit.

O DEUS! ad quem respexisti, aut in quem defixisti oculos? In stercus & lutum? In Creaturam impiissimam! In cloacam & sentinam totius spurcitiei!

ei! O quanta hæc tua fuit clementia, quòd plurimos in tenebris suis immersos relinquendo, me improbam & obstinatam, è profundis voraginibus, è tenebrosis abyssis scelerum eduxisti, atq; violentiâ salutari ad splendidissimam lucem, incommutabilis veritatis tuæ reduxisti.

O Pater amantissime, quàm multos, qui tibi ferventiùs inservierunt, minùsq; te offenderunt, quàm ego, deseruisti; qui in peccatis mortui, ad sempiterna gehennæ incendia devoluti sunt, è quibus nullo vnquam tempore emergere poterunt, sed in omnem æternitatem torquebuntur: & mihi, qui nullum tibi servitium impendi, sed Dæmoni, contemptâ summâ Maiestate tuâ, continuò adhæsi ac famulatus sum, arrhabonem gratiæ tuæ in præsenti vita donasti, atq; in futura vita, cælestem gloriam (vti confido) conservas.

Exaggerat Anima suas iniquitates.

HEu Domine benignissime, Pater misericordiarum & DEVS totius consolationis, tam innumerabilia & immania sunt scelera mea, vt pro ijs satisfa-

cere nequeam. Et tanta insuper est mea pro immensis beneficijs, quæ in me largâ manu contulisti, ingratitudo; vt ea nulla ex parte remetiri, aut parem illis gratiam reponere valeam: imò potiùs propter malitiam & ingratitudinem meam, totidem infernos commerita sum.

Rogat vt occidatur à Deo.

VErumtamen cum neq; possum, neq; debeam mihimetipsi manus violentas adferre, mortemq; consciscere, tu me potiùs occide atq; interfice; etsi hoc ipsum animus tuus neutiquam patitur? Angelum tuum exterminatorem mitte, qui me perimat, occidat, atq; severam de me vltionem sumat. Si autem nec hoc (pro immensa quâ es clementiâ & benignitate) facere voles, quandoquidem me ipsũ interficere nequeo hoc tamen, quod possum, faciam. Itaq; memetipsum tibi tanquam homicidam & prædonem vinctum, & catenis post terga religatum, in perpetuum mancipium dono, vt tibi soli perpetuò seruiam, nec vnquam ex his me vinculis, quæ ipsa mihi circumdedi, expedire, aut à te separari valeam.

Duo tantùm sunt Actus, qui perditam Dei gratiam recuperant. Actus Charitatis, & Actus Pœnitentiæ, *seu doloris, quorum alter alterum includit. Ut Publicanus dolendo, & Magdalena diligendo, omnem animi pestem deterserunt.* Drex: in Horol.

ORATIO

In qua contritionem de peccatis petit, & pro illis Christi Passionem offert.

CLementissime Domine, Pater omnipotens; Memini te dixisse: VENITE AD ME OMNES, QVI LABORATIS ET ONERATI ESTIS, ET EGO REFICIAM VOS. En ego peccator maximus, gravi peccatorum pondere pressus, ad te Patrem meum benignissimum supplex venio, vt me fessum recrees & soleris.

Da mihi veram de peccatis meis contritionem, da capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt illa diebus ac noctibus defleam. Da illos cordis mei gemitus, quibus nosti Cor tuum flecti ad misericordiam.

Pro quibus vniversis delictis & peccatis meis, offero tibi misericordissime

Pater

Pater dilectissimum Filium tuum, tantâ, quantâ possim humilitate & gratitudine, in vnione illius amoris, quo tu eum mihi dedisti, & ex Paterno Corde in hunc mundum misisti, vt humanam assumeret naturam, mortemq; subiret amarissimam.

Offero igitur tibi merita Incarnationis, conversationis, Passionis & mortis eius.

Offero ignominiosam afflictionem, voluntariam Obedientiam, ineffabilem humilitatem, incomprehensibilem patientiam, & ardentissimam charitatem illius.

Offero immitissima vincula, verbera, impulsus, conculcationes, contemptus, opprobria, irrisiones, blasphemias, & quidquid perpessus est.

Offero inquam dilectissimum Filium tuum, toto Corpore in Cruce extensum.

Offero manus innocentes, sacro Cruore promanantes.

Offero immaculata Vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum, diris confixa clavis.

Per Nati ergo tui vulnera, per mor-

tem

tem eius acerbiſſimam, & per amorem illius ardentiſſimum ſupplicitèr te deprecor, miſericordiſſime Pater; Suſcipe hæc gratiſſima Filij tui merita, pro deteſtandis iniquitatibus & negligentijs meis, & pro peccatis vivorum & mortuorum, pro quibus ego orare debeo, ſeu tu rogari vis, ignoſce peccatis famulorum tuorum, & amoris tui igne corda noſtra ſuccende.

ORATIO AD IESVM.

Pœnitens, enumeratis beneficijs ſibi à CHRISTO collatis: Cor ſuum in Sanguine CHRISTI abluendum offert.

O IESU dulcis amator noſter, dum admirabilia beneficia tua, quibus me miſericorditèr prævenisti in benedictionibus dulcedinis, altâ mente perpendo; liqueſcit cor meum, igne amoris tui: & anima mea tuâ charitate ſauciata, exſpiranti ſimilis, contabeſcit.

Quomodo enim maiora, dulciſſime IESV, poteras mihi præſtare beneficia, quæ non præſtitiſti?

Me enim cùm non eſſem, de nihilo creâſti.

Mun-

Mundum propter me, & omnia quæ in eo ſunt, in obſequium mei feciſti.

Sacro Baptiſmatis fonte, à peccati originalis macula, emundâſti.

De bonis temporalibus, ad vitam ſuſtentandam, neceſſaria mihi liberaliter providiſti.

Pœnitentiæ lavacro, millies ac millies recidivum à ſordibus lavâſti.

Corpus tuum Sanctiſſimum in cibum, & Sanguinem pretioſiſſimum in potum dediſti.

Cùm actualiter te offendebam, quoties gratiâ tuâ præſtimulante, ad te recurrebam, manum auxiliarem porrexiſti.

Jn omnibus, vbicunq; ambulabam, cuſtodiens me vt pupillam oculi, mecum fuiſti.

Jmpulſibus Spiritus tui, interiora mea, etiam dum peccabam, moviſti.

Jnſpirationes multas, ad vitæ emendationem immiſiſti.

Ab æterna damnatione, totiès, quoties peccavi mortalitèr, eripuiſti.

Et quaſi parva forent iſta, multò maiora adijcere voluiſti.

Amore enim mei, humanam Carnem aſſumpſiſti.

Summa in paupertate natus, vixisti.

Gravissimas deniq; pro me iniurias, ærumnas, labores, alapas, sputa, flagella, spinas, & Crucem subijsti.

Nec hîc substitit amor; sed & latus tuum amplissimo vulnere aperiri voluisti: vt ad Cordis tui penetrale, liber cordi meo pateret aditus, & vt in tanti amoris flamma cor meum inardesceret.

O JESU mi dulcissime, quàm gratum me, pro tam immensis beneficijs & charitate tua exhibebo?

Ecce Domine, duplici me debito obligâsti tibi. Debeo enim amori tuo, me ipsum totum; quia me fecisti: pro eo verò, quòd tradideris te in mortem, & in salutem animæ meæ, effundens sanguinem: quid à me dignè rependi posset? non invenio.

Debeo tibi plusquàm Decem Millia Talentorum purissimæ dilectionis, quam reposcis à me: quid faciam, cùm solvendo non sim satis?

Si bonum tibi videtur, vt, quidquid ex me mihi deest; vsurpem mihi ex visceribus tuis? Profectò si id licet? Offero tibi teipsum, benignissime IESV: Offero

Cor

Cor tuum benedictiſſimum: vnà cum corde meo, licet multis criminibus maculato. Quod vt digna tibi poſſit eſſe victima; rogo te per effuſionem Sanguinis tui pretioſi, vt in Sanguine tuo, illud lavare & emundare valeam, ab omni inquinamento, quod ſicut aquam iniquitatem bibit.

Temperâſti enim mihi, ô Sponſe ſanguinum, pretioſum balneum, de cruore tuo calidum, & de admixtis lachrymis tuis temperatum, vt cor meum in eo abluam.

Langueſcit profectò cor meum ægrũ, at ſanum efficietur, ſi hoc, lachrymarum, ſudorum, & ſanguinis tui balneo innatare poſſit.

Complaceat ergo tibi obſecro, vt in eodem abluas me, & ſanitati reſtituas cor meum infirmum.

Si enim duriſſimus adamas, hirci ſanguine molleſcit? Quomodo non duritia cordis mei, ſicut cera liqueſcet, attactu ſanguinis Agni immaculati?

Repurga igitur, bone IESU, cor meum tibi millies dicatum, lixivio Sanguinis tui, & emunda illud, ab omni inquinamento.

Fac,

Fac, obſecro te per ardentiſſimum illum amorem, quo latus tuum lanceâ aperiri voluiſti: vt inde copiosè divinus ille cruor diffluat in ſalutem animæ meæ: vel vna quæſo guttula, ex patente latere tuo, ſtillet in vulneratum cor, & ægram animam meam, vt ſanguine tuo mundata, ſibi ipſi mori, tibi verò vivere incipiat.

Suſcipe itaq; placido ac ſereno vultu oblationem hanc, in gratiarum actionem, pro innumeris beneficijs, quibus me famulum tuum indignum cumulaſti: nec reſpicias multitudinem peccatorum meorum, quorum me ſeriò pœnitet: ſed ea amoris tui igne conſumas: me peccatorem miſericorditer reſpicias: interiùs per ineffabilem gratiam tuam illumines: frequentèr viſites; lachrymis irriges: compunctione conteras: felicem mortis horam, & beatam tecum invenire requiem concedas. Quod per illum Sacratiſſimum Cordis tui cruorem ad vltimam vſq; guttulam, amore mei profuſum, perq; Paſſionem, mortem, & ſepulturam tuam te deprecor, ô amantiſſime IESV, Amen.

ORA-

ORATIO

Petit, vt quemadmodum pro Crucifixoribus Christus oravit; ita & pro se oret.

O JESU, inexhaustæ pietatis abysse, cuius natura bonitas: cui proprium est misereri semper, & parcere. En ego peccator maximus: cuius peccata vincunt numero arenam maris: tuis me confixis prosterno pedibus, immensam tuam attendens bonitatem, & misericordiam, quam tuis impendisti Tortoribus, qui te crucifixerunt: simul confidens quòd & mihi gratiam tuam non denegabis.

Fateor quòd sim causa acerbissimæ passionis tuæ, & hos tantos cruciatus tuos, gravibus meis sceleribus, tibi inflixi: & toties te crucifixi, quoties peccatum commisi.

Attamen, neq; post tanta peccata atq; iniurias, quibus te affeci, de gratia & misericordia tua vllatenùs despero: vbi pro crucifigentibus te, orantem intueor: sed plena cum fiducia confiteor tibi peccata mea: quandoquidem tot in te relucent signa clementiæ; dum-

tàm

tàm amicè orantem te contemplor, pro his, qui te crucifixerunt, & blasphemijs insectati sunt.

Quæso itaq; pijssime Domine, prosit hæc Oratio tua miseræ animæ meæ. Quamvis enim te crucifixi, non tamen eâ id à me malitiâ factum est, quâ ab impijs Iudæis,; sed humanâ quâdam victus fragilitate id feci: neq; idcirco peccavi, vt te contumelijs afficerem, sed vt meis obsequerer sensibus.

Quidquid ergo in te delectationis assensu peccavi, pœnitentiæ acerbitate corrigere, & calidis lachrymarum vndis diluere sum paratus.

Eleva igitur vocem tuam, ô bone IESV, & commenda me dulcissimo Patri tuo, dicens: PATER IGNOSCE HVIC PECCATORI, QVIDQVID DELIQVIT: QVIA NESCIVIT QVID FECIT. Utinam sic ores pro me, vt mihi ignoscat, misericors Pater tuus.

Per angustias igitur animæ tuæ, per terrores & contumelias, quas passus es ab eis, te deprecor, ô vnica salus mea, miserere mei miserrimi peccatoris: fac me cor contritum & humiliatum in-

con-

conſpectu tuo habere ſemper, da mihi lachrymas ſinceræ pœnitentiæ, lachrymis, quas pro me fudiſti, refundere.

Te etiam deprecor, ô Pater miſericordiæ, qui proprio Filio tuo non pepeciſti, ſed illum pro me, duris laboribus & doloribus amari cordis tradidiſti, vt perditam & errantem recuperaret animam meam.

Si me pro mea, vt dignum eſt, deſpicis iniquitate, reſpice me ſaltèm miſericors, pro dilectæ Sobolis tuæ charitate. Attende in Filio, quo propitieris ſervo, & ne tibi diſplicere pergam, fac me vanitatem, & fæditatem deſiderij carnalis, toto corde deteſtari.

Diſcedant à me omnes, qui operantur iniquitatem: voſq; carnales amores, & vitioſæ concupiſcentiæ procul faceſſite. Ite mundi opes, deliciæ, ite Honores, & quidquid terris gaudiorum, dignitatumq; eſt, procul ſunto à me. Solus dulciſſimi Iesv amor, perpetuò in corde meo vigeat, nec vnquam recedat à me.

Tu autem amantiſſime Iesv, configе timore tuo carnes meas, & in me flammam tui ſancti amoris, in ſignum veræ reconciliationis accende.

Ora-

ORATIO

Petit misericordiam, eam à CHRISTO quam Latroni ostendit.

DOmine JESU Christe, qui Latroni iniustitiam suam agnoscenti: teq; Regem & Deum piâ fide confitenti, Paradisi gloriam benignissimè es pollicitus, eandem mihi non denegabis gratiam, dummodò cum humilitate & lachrymis iniustitiam meam, adversum me confiteri, non erubescam.

Ecce itaq; humi, quàm maxima cum humilitate prostratus, iniustitiam meam à te non abscondo: sed coram te pronuntio cum lachrymis, vt tu remittas impietatem peccati mei.

Respice me obsecro, illis misericordiæ oculis, quos in Latronem pœnitentem deflexisti, vt intuitu hoc efficaci, durities cordis mei frangatur, & det aquas pœnitentiæ salutares, quibus abluam scelera mea iugitèr, vt multiplicatis fletibus, vberioribus lachrymis mundatus, à modò serviam tibi in novitate spiritus.

Memento quæso mei, & præsta, vt

ferventiori ex nunc, igne suavissimi amoris tui incensus, ignitis desideriorum iaculis, crebris suspirijs, & importunis precibus, Regno Cœlorum vim faciam, & violentus rapiam illud.

ORATIO.

In qua varia petit dona.

MIsericordissime JESU, effundo in conspectu tuo Orationem meam, flectoq; genua cordis mei ante te: rogo te per misericordiam tuam, vt mihi ipsi perfectè moriar, per iugem mortificationem, & tibi soli vivam per amorem.

Suscita me Domine, de sepulchro vitiorum & peccatorum meorum, quorum me pœnitet: libera pauperculam creaturam tuam à seipsa, ne pereat in periculoso prælio passionum suarum.

Aufer à me amorem sæculi, rumpe vincula, quibus carni & sanguini ligatus teneor, vt anima mea, sicut passer erepta de laqueo venantium, avolet in nidum amabilissimum Cordis tui, cunctisq; renuntians affectibus, tota, soli incumbat amori.

Jmper-

Jmpertire mihi hanc gratiam, vt ex toto corde, & ex tota anima, ex omnibus viribus, & ex totis visceribus & præcordijs meis, diligam te Domine, & quidquid amori adversatur, mortificem. Hæc mea sunt vota, hæ meæ sunt preces. Quòd si audieris orationem servi tui? Sacrificabo tibi ardentia igne tuo viscera mea, & cantabo in æternùm super mel dulcissimas misericordias tuas.

ORATIO

In qua petit misericordiam, in die extremi Iudicij.

PLacare obsecro, dulcissime JESU, & miserere mei, vt propter scelera & enormia delicta mea, in die Iudicij, non avertas faciem tuam à me, qui pro me redimendo non avertisti faciem tuam, ab increpantibus, & conspuentibus in te. Fateor quidem quia peccavi, & conscientia mea meretur damnationem, & pœnitentia mea non sufficit ad satisfactionem. Sed tamen certum est, quòd misericordia tua, superat omnem offensionem.

Noli igitur quæso, pijssime Domine,

ſcribere adverſum me amaritudines meas, vt intres in iudicium cum ſervo tuo; ſed ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam. Væ mihi miſero peccatori, cùm venerit dies Iudicij, & aperti fuerint Libri conſcientiarum, cùm dicetur de me.

ECCE HOMO & OPERA EIUS.

Quid faciam tunc, Domine DEVS meus, cùm Cæli revelabunt iniquitatem meam, & adverſum me terra conſurget?

Plange anima mea plange, ſicut vidua ſuper virum pubertatis ſuæ, vlula miſera, & plora gemens: obſecra, vt non dimittat te Sponſus tuus Chriſtus. Supplica illi, vt cùm extrema dies mea, finiſq; vitæ meæ advenerit, ille tibi ſit miſericors Iudex, contra malignum accuſatorem Diabolum: & ſit tibi perpetuus defenſor, adverſus inſidias hoſtis iniqui, & in ſocietatem Angelorum, Omniumq; Sanctorum, in Paradiſo ſuo perſeverare faciat. Qui eſt benedictus in ſæcula, Amen.

LITANIÆ
DE
NOMINE JESU.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Pater de Cælis DEVS, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEVS, Miſerere nobis.
Spiritus Sancte DEVS, Miſerere nobis.
Sancta TRINITAS vnus DEUS, Miſerere nobis.
JESU Fili DEI vivi, Miſerere nobis.
Ieſu Potentiſſime,
Ieſu Fortiſſime,
Iesu Perfectiſſime,
Iesu Glorioſiſſime,
Iesu Mirifice,
Iesu Iucundiſſime,
Iesu Chariſſime,
Iesu Clarior Sole,
Iesu pulchrior Lunâ,
Iesu Splendidior Stellis,
Iesu admirabilis,
Iesu delectabilis,

Miſerere nobis.

Iesu honorabilis,
Iesu humillime,
Iesu pauperrime,
Iesu mitissime,
Iesu patientissime,
Iesu obedientissime,
Iesu castissime,
Iesu amator castitatis,
Iesu amator pacis,
Iesu amator noster,
Iesu speculum vitæ,
Iesu exemplar Virtutum,
Iesu decus morum,
Iesu zelator animarum,
Iesu refugium nostrum,
Iesu Pater pauperum,
Iesu Consolator afflictorum,
Iesu Thesaurus fidelium,
Iesu Gemma pretiosa,
Iesu Armarium perfectionis,
Iesu bone Pastor ovium,
Iesu Stella maris,
Iesu Lux vera,
Iesu Sapientia æterna,
Iesu Bonitas infinita,
Iesu gaudium Angelorum,
Iesu Rex Patriarcharum,

Miserere nobis.

Miserere nobis.

Iesu

Iesu Inspirator Prophetarum,
Iesu Magister Apostolorum,
Iesu Doctor Evangelistarum,
Iesu Fortitudo Martyrum,
Iesu Lumen Confessorum,
Iesu Sponse Virginum,
Iesu Corona Sanctorum Omnium,

Miserere nobis.

Propitius esto. Parce nobis Iesu.
Propitius esto, Exaudi nos Iesu,
Ab omni malo, Libera nos Iesu.
Ab omni peccato, Libera nos Iesu.
Ab ira tua,
Ab insidijs Diaboli,
A transgressione mandatorum tuorum,
Ab incursu omnium malorum,
Per Incarnationem tuam,
Per adventum tuum,
Per Nativitatem tuam,
Per Circumcisionem tuam,
Per dolores tuos,
Per flagella tua,
Per mortem tuam,
Per Resurrectionem tuam,
Per Ascensionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,

Libera nos Iesu.

Per dulcissimam Virginē Matrem tuam,
Libera nos Iesu.

Per

Per Intercessionem Omnium Sanctorum tuorum, Libera nos Iesu.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Ut dulcem melliflui tui Nominis memoriam in tabulis cordis nostri digito Virtutis tuæ inscribere digneris, Te rogamus audi nos.

Ut Nomen hoc Sanctissimum & viventes in opere, & morientes in ore habere mereamur. Te rogamus audi nos.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

JESV audi nos. IESV exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Pater noster, &c.

℣. Sit Nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc, nunc & vsq; in sæculum.
℣. Non nobis Domine, non nobis.
℟. Sed Nomini tuo da gloriam.
℣. Exaudi Domine adiuva nos.
℟. Et libera nos propter Nomen tuum.
℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

ORE-

OREMUS.

DEUS, qui gloriosum Nomen IESU Christi Filij tui Domini nostri, fecisti fidelibus tuis, summæ suavitatis affectu amabile, & malignis spiritibus tremendum atq; terribile: concede propitius, vt omnes, qui hoc Nomen IESV devotè venerantur in terris, sanctæ consolationis dulcedinem in præsenti percipiant, & in futuro gaudium perpetuæ exultationis, & interminabilis beatitudinis obtineant in Cælis. Per eundem Dominum nostrum JESUM Christum.

ORATIO.

Per NOMEN IESVS, petens remissionem peccatorum.

JESU dulcissime, propter Nomen tuum dulce, fac mihi secundum Nomen tuum. JESU obliviscere superbum, te provocantem, respice piè miserum te invocantem. JESU Nomen tuum dulce, Nomen delectabile, Nomen confortans peccatorem, & Nomen beatæ spei. Quid est enim IESUS nisi Salvator? Ergo propter temetipsum JESU, esto mihi JESUS, esto mihi Salvator benignus

nignus. Noli Domine noli attendere sic malum meum, vt obliviscaris bonum tuum. O bone JESU etsi ego admisi, vnde me damnare potes, tu non amisisti, vnde salvare soles. Si castitatem meam mihi ademi, nunquid misericordiam tuam peremi? Verum est quòd conscientia mea meretur damnationem, & pœnitentia mea non sufficiat ad satisfactionem. Sed certum est, quòd misericordia tua superat omnem offensionem. Parce ergo mihi Domine, qui es vera salus, & qui non vis mortem peccatoris. Miserere Domine peccatrici animæ meæ, solve vincula eius, sana vulnera eius.

COLLOQVIVM
Cum
CHRISTO CRUCIFIXO.

Accipe Effigiem Christi Crucifixi, & osculare quinquies eius Sanctissima Vulnera.

Osculans PEDEM *dextrum dic:*

DOmine JESU Christe, per Vulnus PEDIS tui dextri, peto à te, ducas me Viâ Crucis.

Oscu-

Osculans PEDEM *Sinistrum.*

DOmine JESU Christe, per Vulnus PEDIS tui Sinistri, peto à te, dirige in conspectu tuo, viam salutis meæ.

Osculans Vulnus MANVS *dextræ, ter dic:*

DOmine JESU Christe, per Vulnus MANVS tuæ Dextræ, peto à te, colloca me ad dexteram tuam in Iudicio tuo.

Osculans Vulnus MANVS *sinistræ, semel dic:*

DOmine JESU Christe, per Vulnus MANVS tuæ sinistræ, peto à te, benedic omnibus, qui sinistrè de me loqvuntur, scribunt, agunt, cogitant.

Osculans Vulnus LATERIS *ter dic:*

DOmine JESU Christe, per Vulnus Lateris & Cordis tui, peto à te, vt vltima sit respiratio mea Nomen & Amor tuus.

SALVTATIO MEMBRORUM CHRISTI CRUCIFIXI.

SAlvete delicata Membra Domini mei Iesv Christi, pro salute nostra, diversis pœnis in Passione cruciata.

Salve Reverendissimum Caput pro nobis spinis coronatum, & arundine percussum.

Salve pretiosissima Facies, pro nobis consputa, & alapis cæsa.

Salvete benignissimi Salvatoris nostri Oculi, pro nobis lachrymis perfusi.

Salve Sacrum Os, Gutturq; suavissimum, pro nobis felle & aceto potatum.

Salvete Aures nobilissimæ, pro nobis opprobrijs & contumelijs oppletæ.

Salve Collum Regium, pro nobis colaphizatum: Dorsumq; suavissimum pro nobis flagellatum.

Salvete Venerabiles Manus & Brachia, pro nobis in Cruce extensa.

Salve Pectus Divinissimum, pro nobis in Passione conturbatum & contusum.

Salvete Pedes adorandi, pro nobis clavis affixi.

Salve

Salve Latus gloriosum, pro nobis lanceâ militis perforatum.

Salve Corpus JESU, totum pro nobis in Cruce suspensum, vulneratum, mortuum & sepultum.

Salve Cor mellifluum, Sanctissimæ TRINITATIS Gazophylacium, pro nobis in Cruce disruptum.

Salve, ter Sanctissima Christi Anima, ad mortem vsq; contristata.

Salve Sanguis pretiosissime, è Vulneribus Christi copiosè effuse.

Salvete adoranda Salvatoris nostri vulnera, Monimenta Charitatis, & pretia Redemptionis humanæ.

Per hæc vulnera tua, mi bone JESU, sana animam meam peccatricem, & esto propitius mihi indignissimo peccatori.

Vulneribus quinis me subtrahe Christe ruinis.

Vulnera quinque DEI, sint Medicina mei.

ORATIO.

Petit per Nomen IESV remitti sibi peccata, pro quibus dolet.

DUlcissime JESU, per cuius Nomen dulcissimum remissionem peccato-

res

res recipiunt omnes, qui ſperant in te, rogo te, propitius eſto peccatis meis propter Nomen tuum, & propter gloriam Nominis tui.

Ne reſpicias multitudinem peccatorum meorum, quorum me nunc seriò pœnitet, ſed ea amoris tui igne conſume. Et ego, tantæ charitati tuæ aliquatenus reciprocâ reſpondens gratitudine, ex nunc firmum concipio propoſitum, vitam meam in melius emendandi, & ex puriſſimo tui amore fideliùs tibi in poſterum ſerviendi.

Ad te, ô Benigniſſime IESV, clamo, & profundis animæ gemitibus altiſq; ſuſpirijs dulciſſimum Nomen tuum invoco, vt periculoſis cordis mei vulneribus medearis.

PETITIO
Amoris Diuini & lachrymarum.

AMo te DEVS meus, amore quàm maximo, magiſq; te amare cupio. Da mihi, vt amem te ſemper, quantùm volo, & quantùm debeo, vt tu ſolus ſis tota intentio mea, & omnis meditatio

mea,

mea: Te mediter per dies sine cessatione, te sentiam per soporem in nocte.

Vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es: vulnera eam igneo & potentissimo telo tuæ nimiæ charitatis. Confige cor meum iaculo tui amoris, vt dicat tibi anima mea, CHARITATE TVA VULNERATA SVM: ita, vt ex ipso vulnere amoris tui, vbertimæ fluant lachrymæ, die ac nocte.

Da mihi quæso lachrymas ex toto affectu internas; quæ peccatorum meorum possint solvere vincula, & cælesti iucunditate semper repleant animam meam.

Præsta mihi gratiam tuam; propter te, & propter Nomen Sanctum tuum: vt quoties de te cogito, de te loquor, de te scribo, de te lego, de te confero, quoties tui reminiscor, tibi assisto, laudes, preces, & Sacrificium offero, toties obortis lachrymis in conspectu tuo copiosè & dulcitèr fleam, ita, vt efficiantur lachrymæ meæ, panes die ac nocte.

Percute Domine hanc durissimam cordis mei petram, piâ, & validâ cuspide di-

de dilectionis tuæ, & altiùs ad intima penetra potenti Virtute; & sic de capite meo educ aquam, & de oculis meis fontem lachrymarum, vt lugeam die ac nocte, nullam in præsenti vita recipiens consolationem, donec te in Cælesti thalamo merear videre dilectum Sponsum meum, DEUM & Dominum meum, vt ibi videns gloriosam & admirabilem faciem tuam, omni dulcedine plenam, cum ijs, quos elegisti, Maiestatem tuam supplex adorem; & illic Cælesti repletus iubilo æternæ exultationis, exclamem cum diligentibus te, dicens: Ecce quod concupivi, iam video: quod speravi, iam teneo; quod desideravi, iam habeo. *S. Aug: in medit: Cap: 37.*

ORATIO.

In qua spatium ad pœnitendum petit.

DUlcissime Domine JESU Christe, qui neminem quantumvis peccantem ad te tamen cum fiducia accedentem, repellis; sed misericorditèr suscipis: suscipe me obsecro venientem ad te, eâ, quâ possum humilitate, suppliciter deprecans, vt me benignis misericordiæ tuæ oculis respicere digneris Non

Non patiar, quæso, repulsam à te, cùm & Sanguis tuus pretiosissimus tam misericorditer pro me fusus, de terra non vindictam, sed pietatem clamet.

Ecce enim iam vitam meam seriò emendare volo: displicent enim mihi peccata mea, quorum me pœnitet, & ea perpetrâsse doleo.

Concede mihi spatium veræ pœnitentiæ, & vt peccata mea, quæ tantam tibi causarunt tristitiam, immò & ipsam mortem, verâ Confessione expiare, & deflere valeam, firmo concepto proposito, in posterum non relabendi.

Adauge me, Rex liberalissime, & gratiam concede, vt in amaritudine animæ meæ, peccata & negligentias meas superioribus annis commissas deflere valeam. Adauge gratiam, vt mandata tua fideliter adimpleam.

Abstrahe cor meum ab omni eo quod tibi displicet, & confirma super me amorem tuum.

Adiuva me, & admitte ad Thronum misericordiæ tuæ parvulam petitionem meam, quæ ea est: ut cùm non possim mihi plenè mori, & tibi per amorem vive-

vivere, nisi per gratiam tuam, eam mihi des, & sufficit mihi.

Ego seruus tuus, & filius Ancillæ tuæ, nihil aliud peto, nisi gratiam tuam, vt redamare possim amantem, mihi mori, & vivere tibi.

Hoc iterum atq; iterum per pretiosum, quem meæ salutis causâ fudisti, Sanguinem, à te peto, ô dulcissime IESU.

COMMENDATIO VARII STATUS HOMINUM. *Ad* *QVINQVE VVLNERA CHRISTI.*

Ad Vulnus PEDIS *Sinistri.*

DOmine JESU Christe, commendo tibi ad Vulnus PEDIS tui sinistri, omnes peccatores: nominatim eos, qui in mortali peccato existunt, Hæreticos, Schismaticos, Iudæos, Atheos, Gentiles, maleficos: vt à te gratiam obtineant, quatenus salutis suæ viam intelligant, peccata à se perpetrata agnoscant, perfectè de illis doleant, integrè confiteantur, validè absolvantur, plenè satisfaciant, ac verè sese ab omnibus emendent.

Ad Vulnus Pedis *Dextri.*

DOmine JESU Chriſte, commendo tibi ad Vulnus Pedis Dextri, omnes miſeros & afflictos, pupillos & viduas, pauperes & anguſtiatos, infirmos & incarceratos, moribundos ſive naturali, ſive violentâ morte: vt patientes ſint, vt inde mereantur, proficiant, Deo gratias agant, & ſeſe multò plura promeruiſſe flagella agnoſcant: vel ſi patientes non forent; malis ſuis eximantur, Deoq; grati ſint.

Ad Vulnus Manus *Siniſtræ.*

DOmine JESU Chriſte, commendo tibi ad Vulnus Manus Siniſtræ, omnes Status ſæculares: inprimis commendo Imperatorem, Reges, Principes, & Magiſtratus, Exercitus, & vniverſum populum Catholicum, Parentes, Fratres, & Benefactores meos: vt omnia à te obtinere valeant, vt legem tuam, atq; Eccleſiæ obſervent: pietati, ac Sacramentorum frequentationi ſe dedant, proximos ædificent, charitatem ament, miſericordes ſint, & temporalem ſimul, ac æternùm benedictionẽ conſequantur.

Ad Vulnus MANVS *Dextræ.*

DOmine JESU Christe, commendo tibi ad Vulnus MANVS tuæ Dextræ, omnes Status Ecclesiasticos; inprimis Summum Pontificem, Cardinales, Episcopos, Pastores, Sacerdotes & alios Clericos, nec non Religiosos: vt suis Officijs satisfaciant, perfectionem adipiscantur, Deum nudè quærant, exemplo præeant, zizania eijciant, multos salvent, maximâ deniq; in Cælis gloriâ perfruantur.

Ad Vulnus SS. LATERIS.

DOmine JESU Christe, commendo tibi ad Vulnus Sacratissimi LATERIS tui, omnes Animas Purgatorij; inprimis Parentum meorum, Superiorum, Magistratuum, Fratrum, Sororum, tam carnalium, quàm Spiritualium, Cognatorum, Benefactorum, Ecclesiasticorum omnium, & qui pro Ecclesia DEI laboraverunt. Item, qui à nobis læsi, scandalizatiq; sunt: aut quibus Purgatorij, vel peccati dedimus occasionem: improvisè, aut sine Sacramentis extincti,

quiq;

quiq; suffragijs carent, qui maximè in Purgatorio torquentur, aut diutissimè illic hærere coguntur.

Peto à te obnixè, dulcissime JESU, vt omnes illæ Animæ, à tormentis suis eximantur, de infernali carcere educantur, Beatorum gaudijs perfruantur, Deum videant, eum glorificent, illi vniantur, & pro nobis, alijsq; preces fundant, & exaudiantur.

Nec tantùm Purgatorij Animas, sed & meipsum, in Sanctissimo tuo LATERE, ô dulcis JESU, includi peto: oroq; submissimè, vt omnia ea, quæ hactenus vivis & mortuis concedenda petij, ipse consequi valeam: præsertim peccatorum remissionem, passionum victoriam, gratiarum abundantiam, virtutum complementum, finalem in gratia tua perseverantiam, ac æternum in Cælis, cum Beatorum agminibus, consortiū adipiscar.

OBLATIO

Suiipsius, & peccatorum remissionem petit. Tom: à Kem.

DOmine JESU Christe, in simplicitate cordis mei offero tibi meipsum hodie

hodie in ſeruum ſempiternum, in obſequium, & ſacrificium laudis perpetuæ:
Offero tibi omnia peccata & delicta mea, quæ commiſi coram te, & Sanctis Angelis tuis, à die, quo primùm peccare potui, uſq; ad diem hanc, vt tu omnia paritèr incendas & comburas igne charitatis tuæ, & deleas vniverſas maculas peccatorum meorum, & conſcientiam meam ab omni macula emundes: & reſtituas mihi, gratiam tuam, quam peccando amiſi, omnia mihi plenè indulgendo, & in oſculum pacis me miſericorditer aſſumendo.
Quid poſſum agere pro peccatis meis, niſi humilitèr ea confitendo & plorando, & tuam propitiationem inceſſantèr deprecando.
Deprecor te itaq;, exaudi me propitius DEVS meus: omnia peccata mihi maximè diſplicent; nolo ea vnquam ampliùs perpetrare, ſed pro eis doleo, & dolebo, quàm diu vixero, paratus pœnitentiam agere, & pro eis pro poſſe meo ſatisfacere.
Dimitte mihi, DEVS, dimitte mihi peccata mea, propter Nomen Sanctum tuum, ſa-

um, ſana animam meam, quam pretioſo Sanguine tuo redemiſti. Ecce committo me miſericordiæ tuæ, reſigno me in manibus tuis. Age mecum ſecundum bonitatem tuam, non ſecundum malitiam meam & iniquitatem.

Offero etiam tibi, omnia bona mea, quamvis valde pauca & imperfecta, vt tu ea emundes & ſanctifices, & ea grata facias, & accepta tibi habeas, ſemperq; ad meliora trahas, nec non ad beatum, & laudabilem finem, me pigrum & inutilem hominem perducas.

Offero quoq; tibi omnia deſideria devotorum, neceſſitates Pauperum, Fratrum, Propinquorum, amicorum, omniumq; charorum meorum, & eorum, qui mihi & alijs, propter amorem tuum benefecerunt, & qui Orationes pro ſe ſuiſq; omnibus dici à me deſideraverunt & petierunt, ſive in carne adhuc vivant, ſive iam ſæculo defuncti ſunt; vt omne ſibi auxilium gratiæ tuæ, opem conſolationis, protectionem à periculis, liberationem à pœnis, advenire ſentiant: & vt ab omnibus malis erepti, gratias tibi magnificas læti perſolvant.

Offero etiam tibi preces placationis pro illis specialiter, qui me in aliquo læserunt, contristaverunt, vel aliquod damnum & gravamen intulerunt. Pro his quoq; omnibus, quos aliquando contristavi, conturbaui, gravavi, & scandalizavi, verbis, factis, scientèr, vel ignorantèr, vt nobis omnibus paritèr indulgeas peccata nostra, & mutuas offensiones.

Aufer Domine à cordibus nostris omnem suspicionem, indignationem, iram, & dissensionem, & quidquid potest charitatem lædere, & fraternam dilectionem minuere.

Miserere Domine JESU Christe misericordiam poscentibus, da gratiam indigentibus, & fac nos tales existere, vt simus digni gratiâ tuâ perfrui, & ad vitam proficiamus æternam.

GRATIARUM ACTIO

Pro acceptis Beneficijs. S. Aug: in Solil: c. 18.

GRatias tibi ago, Clementissime & benignissime amator hominum Devs, qui cùm non essem potenter fecisti me: & cùm perditus fuissem, culpâ meâ, mirabi-

rabilitèr liberâsti & recuperâsti me. Quoties enim me iam absorbuerat Draco; & tu Domine ab ore eius extraxisti me.

Quoties ego peccavi, & ipse paratus fuit deglutire me! sed tu Domine Deus, defendisti me.

Cùm contra te iniquè agebam, cùm tua mandata frangebam: stabat ipse paratus, vt me raperet ad infernum: sed tu prohibebas.

Ego te offendebam; & tu me ipse defendebas. Ego te non timebam, & tu me custodiebas. Ego à te recedebam, & inimico meo me exhibebam; tu ipsum, ne me acciperet, deterrebas.

Hæc mihi tu Domine Deus meus beneficia conferebas; & ego miser non cognoscebam. Sic enim me multoties à faucibus Diaboli liberâsti, de ore Leonis eripuisti, & ab inferno licet nescientem me multis vicibus reduxisti.

Descendi enim vsq; ad portas inferni; & ne illuc intrarem, tu me tenuisti.

Appropinquabam vsq; ad portas mortis, & ne me ipsæ caperent, tu fecisti.

De morte etiam Corporis, sæpiùs eri-

puisti me, Saluator meus; cùm graves morbi tenerent me, cùm fui in periculis multis, per aquas, per terras, ab igne & gladio, & ab omni periculo liberans, semper mihi adstans, & misericorditer salvans.

Sciebas quidem tu Domine, quia si tunc me mors occupasset; infernus animam meam suscepisset, & perpetuò damnatus fuissem; sed tua misericordia, & tua gratia prævenit me, eripiens me de morte Corporis, & de morte animæ.

Domine Deus meus, hæc & multa alia mihi tua beneficia exhibuisti, & ego eram cæcus, & non cognovi, donec illuminâsti me.

Nunc igitur lux animæ meæ, Domine Deus meus, vita mea, per quam vivo; lumen oculorum meorum, per quod video, en illuminâsti me, & cognosco te, quia vivo per te. Et gratias ago tibi, licet viles & exiles, & impares beneficijs tuis, quales habet fragilitas mea, offero. Quoniam tu es solus Deus meus, Creator meus benignus, qui amas nostras animas, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.

En

En ego primus inter peccatores, quos salvâsti, vt alijs exemplum tribuam, benignissimæ pietatis tuæ, confiteor beneficia tua magna. Quoniam eripuisti me de inferno inferiori, semèl & secundò, & tertiò, & centies, & millies, & ego semper ad infernum tendebam, & tu me semper reducebas.

Et iustè millies damnasses me, si voluisses, noluisti, quia amas animas, & dissimulas peccata hominum, propter pœnitentiam.

Domine DEVS meus, & cognosco per lumen tuum, & deficit anima mea, in misericordia tua magna, quæ est super me. Quoniam eripuisti animam meam ex inferno inferiori, & me ad vitam reduxisti. Totus enim eram in morte, totum me resuscitâsti. Tuum igitur sit totum id quod vivo; & totus totum me tibi offero.

Totus Spiritus, totum Corpus, tota vita mea, vivat tibi, vita dulcis. Quoniam totum me liberâsti, vt totum me possideas, totum me refecisti, vt totum me haberes,

Diligam te igitur virtus mea, diligam te in-

te ineffabilis exultatio mea, & viuat iam non mihi, sed tibi tota vita mea, quæ perierat in miseria sua, & resuscitata est in misericordia tua: qui es Deus misericors & miserator, & multæ misericordiæ, in millia his, qui diligunt Nomen tuum.

Jdcirco Domine Deus meus, Sanctificator meus, iussisti me lege tua, vt diligam te toto corde meo, totâ animâ meâ, totâ mente meâ, totâ fortitudine meâ, totis viribus meis, & etiam ex intimis medullis cordis mei, omnibus horis & momentis, quibus fruor bonis misericordiæ tuæ. Quoniam semper perirem, nisi quia semper regis me; semper morerer, nisi quia semper me viuificas; & omni momento me tibi obligas, dum omni momento mihi tua magna beneficia præstas.

CONFORMATIO
Voluntatis humanæ cum Diuina.

DEUS meus, amor meus, absit, vt quod tu vis, ego nolim; aut quod tu non vis, velim ego. Tua voluntas, mea voluntas, immò iam ampliùs mea non est, quia mea esse cæpit.

Idem ego velle debeo, quod tu, & verò etiam, ô Domine, volo. Vis me depauperare? volo. Vis me ægrotare? volo, tabescere? volo. doloribus affligi? volo. Solatijs destitui? volo. Adversis plurimis exerceri? volo. mori etiam, & hoc volo. Vis me cælo adscribere? volo quàm maximè.

Inferis adijcere? ah bone Deus, vt hoc tu velles, volebam ego & merebar: vt ego hoc nollem, & volebas tu & merebaris.

Atq; si fieri posset (etsi sanè non potest) horum alterutrũ; aut Sanctissimam tuam Voluntatem irritam esse, vt ego beatus sim; aut me damnatum esse, vt Sanctissima Voluntas tua rata sit. Proclamo: melius est damnari me, & servari, quod tu vis, ô Devs.

Sed ô Bonitas, mortem meam scio non vis, qui Filij tui mortem ideo volebas, vt possis non velle meam.

Per illam ergo Filij mortem te rogo, ô Pater, morte æternâ eripe me.

En vulnera, en Sanguinem, quo tibi pro me litatum est. Filio nolebas parcere, vt posses servulo.

Quia

Quia ergo & potes, & vis misereri, ô immensa, ô tremenda Maiestas! miserere mei.

Parce mihi quæso, peccavi, negare non possum, sed tu potes condonare, quidquid peccavi.

Serva me, Deus, quem creâsti, opus tuum sum, & te meum Opificem videre, & æternùm laudare cupio.

Potes quidem instar Figuli, me luteum vasculum, & sub sui auctoris manu parum obsequens, frangere, & (pridem id meritus sum) in flammas abijcere.

Sed quia maior est tua bonitas, quàm malignitas mea, parce Domine, parce, parce, vivam amando te, qui brevi moriar, hoc per vltimum halitum rogando te, miserere, miserere. *Drex.*

SEPTEM PSALMI CONFESSIONALES.

Quibus Pœnitens vitam ſuam in peccatis inueteratam corde contrito confitetur Domino.

PSALMUS I.

QVis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum?

Ut mærore congruo animæ meæ, damna deplorare ſufficiam: adeſt quippe manifeſta & maxima cauſa iuſtitiæ, cùm antiquos dies cogito: iuveniles annos conſidero mentis intuitu.

Jn hac meditatione, defecit Spiritus meus, ſcio enim qualis fuerim, immò qualis fuiſſe non deberem.

Cognoſco qualis ſum, timeo qualis futurus ſim.

Et eò magis timeo, quò minùs doleo.

Utinam magis dolerem, vt minùs timerem.

Sed Domine, quia iam diu percutis, & nondum doleo, iam diu vocas, & adhuc non audio.

Jam diu pulſas, & cordis mei peſſulum non aperio, circumdant me dolores mortis.

Ea

Ea cùm multis repleàr doloribus exteriùs, nullum prorſus, qui ad ſalutem operetur, dolorem ſentio interiùs.

Nec ſolos ſenectutis dolores experior, ſed vir dolorum ego ſum à iuventute mea.

Cunctiq; dies mei, laboribus & ærumnis pleni ſunt.

Et tamen doleo, quia ſemper dolens, dolere neſcio.

O! ſtupendam & ineffabilem Cæleſtis Medici ſapientiam: & immenſam ſummi Regis bonitatem.

O ſingulare omnium bonorum largitoris beneficium!

Das enim mihi dolores, ne peream iucunditatibus, & vt diſcam ſine offenſione iucundari.

Das dolores temporales, ne patiar æternos, affligis corpus, vt ſalves animam.

Flagellas, vt ſanes, occidis vt vivifices.

Sed proh dolor! medicinam ex occulta manu miſericordiæ tuæ inuitus ſuſcipio.

Et antidotum ſalubrium dolorum, quibus miſericorditer in me ſæuis, rudis non agnoſco.

Et

Et quomodo agnoſco, ſi inſtanter à te peto, vt à me auferas dolores? qui tamen ſine doloribus ſalvari non poſſum.

Quomodo enim, niſi per dolores, ſanabitur, qui per delectationes infirmatur.

Fac ergo, Domine, vt doleam, & doce me ſalutarem dolorem.

Quo triſtitia mea vertatur in gaudium, & exultem in ſalutari tuo, dicens.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, &c.

PSALMUS II.

FLuunt dies, & labuntur anni, ſed infelix ego homo, qui poſt tot animæ meæ labes, poſt caſus graviſſimos, ac diuturnos nondum reſipiſco.

Nec compungor de peccatis meis, in ea frequenter relabi contemno, ab eis reſurgere non curo, nova veteribus, & maiora minoribus accumulans.

Quid faciam Domine, aut quô ibo, cùm noviſſimum tempus meum venerit? vbi abſcondar à vultu iræ tuæ, aut quò à facie tua fugiam?

Cùm vocaveris me ad iudicium, & requisieris a me de talento mihi tradito rationem, quid respondebo tibi, aut quomodo negligentiã meam excusabo?

Cùm sederis super Thronum Maiestatis tuæ, & vsq; ad vltimum quadrantem præceperis mihi reddere rationem villicationis meæ?

Dicam equidem, Domine, vim patior, responde pro me, quis enim ego sum, vt respondeam tibi in iudicio.

Sed quid, si me ipsum respondere compellas, confusus, territus, ac tremens dicam?

Nihil, Domine, perlucratus sum, quinimò nequitèr & inanitèr consumpsi talentum tuum, ac bona tua, vivendo luxuriosè, dissipavi.

Stultè quidem locutus sum dicens vivendo, rectiùs enim moriendo dixissem; sed vivere me tunc putabam, & mortuus eram.

Quia sine te, vera vita mea, vivebam; & si aliquando tecum vixi, vix memini.

Qinimò, si vita impij mors potiùs, quàm vita dicenda est, meritò dicam: quòd priùs cæpi mori, quam vivere.

Non-

Nondum enim quid vita esset perfectè intellexeram, cùm iam te vitam vitarum, ac fontem vitæ dereliqueram, & in multis sceleribus ætatem malitia supplevit.

Ex vtero matris meæ egressus non fueram, & iam peccator eram, in mundũ ingrediens, peccata, in quibus genuerunt me Parentes, adhuc peccati nescius, deflevi.

Nec penitus cessaveram aliena flere peccata; quando propria commisi, quæ cognovi & non flevi,

Jnfans iniquitatem colui, & pueritiam, in qua purus esse debui, impurus egi, exhalabantq; de limosa concupiscentia carnis, & scatebra pubertatis, & obnubilabant cor meum.

Ut non discerneret lucem à tenebris, & serenitatem mentis, à caligine libidinis; & ætatem imbecillem, obliviosam ac lascivam rapiebat voluptas perfida ac dolosa, per abrupta cupiditatis, & ebulliebam per scortationes meas, in inferis satiari desiderans.

A pueritia veni in adolescentiam, nec factus sum citiùs adolescens quò citiùs

mea pravitas adolevit; & sylvescere ausus sum varijs & vmbrosis amoribus, à quibus abstractus, & illectus flagitiorum gurgite mergebar in interitum & perditionem.

Dies adolescentiæ meæ mali & nefandi transierant, & pergebam in iuventutem, sed ad priores revertebar, quantò ætate maior, tantò vanitate turpior; iuvenis fui, & attigi virum, & viguit in me vitium semper pro virtute.

Senui & incanui, nec ambulavi in vijs tuis; sed velut puer centum annorum puerilia adhuc senex facio.

Ubi ego aliquando innocens fui, vt secundum tempus innocentiæ meæ, à te velim iudicari, etiamsi illud constituas mihi ad iudicium? iustus es enim Domine, & rectum iudicium tuum, reddisq; vnicuiq; secundum opera sua.

Ego autem omnia mea vereor, quoniam opera tenebrarum sunt, & operarius iniquitatis fui ab initio.

Atq; impiorum semitas libens semper secutus sum, iacui in vitijs, sicut porcus in immunditijs, & sicut ille siliquis pascitur, sic ego fabulosis & scurrilibus verbis oblectabar.

Seri-

Serijs autem & vtilibus contristabar: cum operantibus iniquitatem communicabam, & cum electis eorum convivabar, & gloriabar in malitia, qui potens eram in iniquitate.

Excusare me amabam, accusare nesciebam: & ingravabam cor meum: eóq; peccatum meum insanabilius, quò me peccatorem non esse arbitrabar.

Nec solùm medicinam animæ meæ ad mortem infirmanti non quærebã, sed oblatam recusabam, & adversus eam mihi ministrantes, animo irreverenti, & infrunito indignabar.

Arguentes me persequebar, loquentes verò mihi placentia amplexabar, & in illorum sermonibus mihi complacui, qui non habebant cor rectum ad te, studui in commentis ac mendacijs.

Et in cunctis dilexi magis tenebras, quàm lucem: ecce vitam meam annunciavi tibi, Deus meus, hæc est series vitæ meæ, in qua iram tuam merui, hæc respondebo tibi, cùm interrogaveris me de me.

Sed tu delicta iuventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, Domine, nec

nec intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Si intrare tamen velis, quoniam Deus diligens iudicium tu es, fac mecum iudicium, sed non fac iustitiam, & iudica me secundum iudicium diligentibus nomen tuum, vt cantem tibi misericordiam & iudicium.

Memento Domine, quòd licet nequam ego sum, servus tamen tuus sum, & filius ancillæ tuæ.

Et non ad multitudinem miseriarum mearum, sed ad magnitudinem miserationis tuæ aspicias, vt cùm propter scelera mea iratus fueris in me, misericordiæ tuæ recorderis.

Ut non in æternum irascaris mihi, sed miserearis tribulato servo tuo, vt te laudet anima mea, & confiteatur miserationes tuas.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, &c.

PSALMUS III.

HEi mihi misero, quia iratum adversum me constitui Redemptorem meum,

meum, & legem eius contumaciter neglexi.

Jter rectum spontè deserui, & sicut ovis renuens Pastorem suum, per loca arida, & inaquosa, longè lateq; circumactus sum.

Errans in invio & non in via, aspera quæq; & inaccessa penetravi, & vbiq; tribulatio, & angustiæ, in via iniquitatis & perditionis lassatus sum.

Et ambulavi vias difficiles, quærens requiem, & non inveniens

Quia non te, Domine, quærebam, sed in terra sterili, & in regione mortis, vbi nulla requies, sed labor continuus, & afflictio spiritus inhabitat: ibam.

Cùm in honore essem non intellexi, sed quasi vnus ex gregibus brutorum, inter lustra ferarum fuit incolatus meus.

Jn anxietatibus cum voluptatibus moratus sum, & in sentibus cubile meum stravi, & obdormivi in interitu, & speravi requiem in tormentis.

Nunc ergo quid agam? quò me in tantis periculis vertam? spes adolescentiæ meæ corruerunt omnes.

Et factus sum naufrago simillimus, qui

qui mercibus amissis nudus enatat.

Jactatus vento, pelago elongatus à portu, & vitam salutis non apprehendo, sed rapior sinistrorsum.

Retia mihi disposuit hostis, quocunq; ibam, & pedibus meis laqueos tetendit.

Ego autem despexi, & incessi securus inter lubrica, & in pecatis meis mihi blanditus sum.

Credidi iuventutem mortis lege non teneri, & hâc fiduciâ deceptus, abij post turpia carnis meæ desideria.

Et vltra modum sensualitati habenas relaxaui, sequens eam, quocunq; me ferebat impetus.

Et dixi insipiens in corde meo, quid ante medium de extremis cogitas?

Longa tibi restat dies? converti poteris cùm volueris.

Sic inveteravi in peccatis, & consuetudo pessima versa est in naturam: iamq; velut peccati mancipium catenatus illi servio.

Et quasi phreneticus odiens carnem suam, dum sibi ipsi manus inferre laborat, deliberationis ratione sopitâ.

Sic ego gravius ac periculosiùs odivi ani-

animam meam, siquidem nefarias ac violentas manus sibi ipsi iniecit impænitentia cordis mei.

Et peccandi obstinata voluntas infelicem animam meam proprijs manibus laceravit.

Atq; ita gehennæ cumulos mercatus in dies magis secundum duritiem meam, & impœnitens cor meum thesaurizo mihi iram in die iræ.

Vetus iugum à me excutere aliquando tentavi, sed non valeo, quia inhæret ossibus.

O si tandem excidat à collo meo, vt te diligam vel serò; excidet quidem, si tu iusseris, Domine, & auxilium mihi miseris ex alto.

Non merui fateor, sed tu largitor optime, qui solem tuum æqualiter oriri facis, super bonos & malos.

Et indignis etiam non poscentibus, bona temporalia concedis, quomodo spiritualia petentibus denegabis?

Miserere ergo mei, DEUS, & imple petitionem pauperis, qui dives es in misericordia, & soles in hilaritate misereri.

Et purgas voluntatem à consvetudine

mala,

mala, & exaudis gemitus compeditorũ.

Et solvis à vinculis, quæ nobis facimus, si non erigamus adversum te cornua falsæ libertatis.

Operi manuum tuarum porrige dexteram, vt non, cùm cecidero, collidar.

Et collisus detrahar in profundum lacum, in quo non est aqua.

Libera me de ore Leonis truculenti ad prædam parati, & animæ meæ inhiantis vt devorer.

Protector enim meus, & liberator meus, tu solus es, & in sola misericordia tua tota spes mea est.

Fiat igitur misericordia tua super me, quemadmodum sperau in te.

Speravi & non confundar, sed voti mei compos, cantabo tibi.

Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat in principio, &c.

PSALMUS IV.

NOctes meæ in mærore transierunt, & terroribus me agitant innumeris; conscientia concutit insomnem, & velut gladio ancipiti ab ea vulneratus torqueor.

Som-

Somnus meus varijs illusionibus turbatur, non mihi quietem afferens, sed laborem; in cogitationibus meis pernocto, & cùm defessus conor dare palpebris meis dormitationem, illicò somnus recedit ab oculis meis, & in doloribus dormio semper à diurnis curis, inquieta lassitudine excitatus, & efferuent omnia interiora mea absq; requie.

Abominabilis factus est animæ meæ cibus ante desiderabilis, potus meus cum fletu miscetur, & confusio ante oculos meos est, ruborq; in genis meis, cùm recordor, quàm graviter te offenderim, DEVS meus, & quàm varijs modis viribus meis, ac donis tuis abusus sum.

Dies meos in vanitate prodegi, consumpserunt me curæ immortales, & insensatis cogitationibus huc & illuc distractus, irreparabilem feci temporis iacturam, somnia mihi multoties fingebam, & gaudebam.

Evanuiq; delusus in vanitatibus, & deliramentis meis, ascendebam vsq; ad abyssos: & dum abyssus abyssum invocat, contabuit in malis anima mea.

Et computrui coram oculis hominum, opta-

optabam impoſſibilia, & phantaſtica illorum fruitione, ſimilis factus ſum dormientibus, qui è ſomno ſurgentes, nihil invenerunt in manibus ſuis.

Vilis ego ſum vermiculus, & tamen nunquã me, Domine, cognovi, ſed erecto ſupercilio me ſolum ſuper omnes exaltavi, temerèq; iactavi verba mea, & in iactantia ſapientiam eſſe exiſtimavi.

Jnfeſtus fui ſocijs meis, & multis ſæpè iratus abſq; cauſa contumelias irrogaui, abhorrui ſapientiam, & dilexi iram.

Nec cauſa ſuberat, & iraſcebar ſervis atq; familiaribus meis, immò & mihimet indignatus maledixi.

Et amicis meis cum ludibrio exprobravi; adverſitates meas invitus tuli, & magis in homine, quàm in Deo confidi.

Jmpatiens veritatem audivi, & in furore ſapientibus reſpondi; aſpiravi libenter ad iniurias, & vindictas, & vltionem Deo nunquam reſervavi.

Adverſus tuentem ſuam cauſam exaſperabar; nec reſponſio mollis, aut vir levis complacebat. In litibus & contentionibus recreabar, & inimicitias ac diſcordias malevolus ſæpè inter fratres ſeminavi.

Salubria & recta consilia auribus percepi, sed disciplinam non apprehendi: Consiliatios prurientibus auribus placido aspiciebam vultu, libero verò animo loquentes mihi, longè faciebam à me.

Egentibus manum non extendi, & cum esurientibus panem meum non comedi: in plateis iacebant leprosi & mendici, ego autem transibam, avertens oculos ab eis, ne commoverentur viscera mea, & misericordiâ commotus eleemosynam darem eis.

Debitum mihi mutuantibus non solui, & vt inordinato appetitui parerem, ære alieno me gravavi; ad illicita patranda dives esse concupivi, ad officia verò pia, semper me pauperem ostendi.

Et quod pietati defuit, concupiscentiæ meæ affluenter abundavit; in commessationibus & convivijs vltra modum lætatus sum, & naturam paucis contentam insatiabili voracitate vitiavi.

Venter meus fuit quasi DEVS meus, & gloria mea in pudendis eorum, qui terrena sapiunt: accuratiores & suaviores cibos exquisivi, & obtentu necessi-

tatis

tatis obumbravi sæpè negotium volu-
ptatis.

Cum adulteris portionem meam po-
sui, & cum mæchis familiaris mea
conversatio fuit: in sanguinibus immo-
deratè versatus sum, & iumentis insipi-
entibus comparatus, adeo me in hoc
vitio prostravi, vt pudeat dicere, quæ
non puduit fecisse.

Vanitati aures & lingua meá servie-
bant, dum per illam impinguabat caput
meum oleum peccatoris, & per hanc
sæpè supplevi, quod in laudibus meis
alij minùs fecisse videbantur, & cùm
opportunè poteram tradere alijs laudes
meas, & meo, & alieno ore, semper
gestiebam prædicari.

Et si quando metus mortis ac futuri
iudicij socordiam meam excitabat, &
me à profundissimo voluptatis gurgite
ad horam reuocabat, subitò tanquam
canis ad vomitum revertebar.

In ijs mortuus adhuc vivo, & in mor-
te manens, ad mortem festino, eamq;
cum festinatione quoq; ad me venien-
tem video.

Sed citò anticipent me misericordiæ
tuæ

tuæ Domine, priusquam veniat dies illa terribilis calamitatis & miseriæ, dies magna & amara valde.

Ut tametsi moriar & vivam, & enarrem miserationes tuas super omnia opera tua.

Respice Domine, & vide, quomodo anima mea iacet in concupiscentijs suis paralytica, & ab eis malè vexatur.

Erue eam de visco tenaci mortis, vt tibi soli, qui solus vita es, inhæreat, & relictis omnibus, sequatur te, qui es super omnia: dic animæ meæ Domine Deus salutis meæ, salus tua ego sum, fiat tibi sicut vis.

Fac audire me hanc vocem tuam, vocem exultationis & salutis, vt curram post eam, & apprehendam te, apprehensumq; teneam, nec dimittam donec me sanum dimiseris.

Ad quem enim præter te infirmus ibo, vt curet me? aut quis poterit sanare infirmitatem meam, nisi qui propter homines, & propter humanam salutem descendit de Cœlis, vt sanarentur à languoribus suis.

Quis vivificare poterit, nisi qui mortificat

tificat & vivificat omnia? quis salvare poterit, nisi tu Deus meus & Salvator meus, in tempore tribulationis? salva ergo & vivifica me, qui vita & salus æterna es, omnium in te confidentium.

Tibi autem initij experti, sine fine gloria, tibi laus & honor, tibi iugis adoratio, tibi gratiarum actio, fons perennis misericordiarum.

Procul enim à te recesseram, & elongavi fugiens: & tamen ægro fugienti, dum te vocat, præstò ades, priusq; ei salutem tribuis, quàm gemitum audias.

Sufficit enim velle sanari, vt sanes; velle viuere, & vitam præstes; & in benedictione dulcedinis tuæ, prævenis desideriũ peccatoris seipsum cognoscentis.

Dicam ergo tibi, Domine, & sufficiet mihi, iniquitatem meam cognosco, & quid est cognosco, nisi sanari volo? & vnde cognosco? quoniam conturbata sunt omnia ossa mea, & anima mea turbata est valdè, à peccatis meis.

Ecce iam iniquitates meas pono in conspectu tuo, Deus meus, vt cures & sanes animam meam, quia peccavi tibi.

Sicut enim non volens Deus iniquitatem

tatem tu es, ita non vis mortem peccatoris, sed magis vt convertatur & vivat.

Non enim mortui laudabunt te Domine, sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino, & confitemur ei, quoniam bonus, quoniam in sæcula misericordia eius.

Gloria Patri & Filio, &c. Sicut erat in principio, &c.

PSALMUS V.

MIserias meas tibi, Domine, revelavi, non ut tibi notas faciam vias meas.

Qui omnes ab initio prævidisti, & omnes gressus meos dinumerâsti: nosti enim abscondita tenebrarum, & oculis tuis nuda & aperta sunt omnia.

Ipsasq; non modò cernis, sed & discernis cogitationum latebras & medullas affectionum.

Sed detego, vt tegas, ac protegas; revelo vt abscondas, humiliatumq; & contritum spiritum in me agnoscas; & per huius oblationem sacrificij, & tibi omnium gravissimi propitius mihi sis, ac parcas peccatis meis.

Multa dixi & quidem gravia, sed pau-

ca hactenus commemoravi.

Jn pluribus enim pungit me vermis conſcientiæ meæ, vtinam rodat putre-dinem;

Ut rodendo conſumat, & ipſe pari-ter conſumatur, nec foveri incipiat in immortalitate: ſed mordeat, vt moria-tur, & paulatim deſinat mordere mor-dendo.

Sed heu mihi, quia cùm finem me feciſſe puto in annuntiandis malis me-is, tunc cogor quaſi denuo incipere.

Et memoria mea plena ſpurcitiarum: abundantiùs alias atq; alias recolit ſor-des.

Peccavi enim ſuper numerum arenæ maris.

Etſi mihi centum ſint linguæ, oraq; centum, vix è mille millibus vnum referam.

Jd tamen dolorem meum auget, quòd omnes tranſactas fœditates meas, & carnales corruptiones animæ meæ reminiſci non poſſum.

Dum enim nova committo crimina, veterum obliviſcor, ſed quæ recordor, non ſilebo.

Non

Non quò ampliùs ea amare velim, sed vt te validissimè amem, Deus meus.

Et vt reçolenti vias meas nequissimas in amaritudine cogitationis meæ dulcescas mihi, dulcedo non fallax, dulcedo amabilis, dulcedo felix, & secura.

Amica itaq; mihi fuit invidia, & charitas inimica.

Regibus & Principibus, atq; Ecclesiæ ministris detraxi, & momordi eos mendaci susurro.

Justorum laudes & merita denigravi, & impiorum facta approbavi.

Si quando de probis hominibus sermo erat, obijciebam falsas maculas, & occultos eorum defectus propalabam.

At in levissimis quasi de graviori crimine, apud alios accusabam.

Siverò contra pravos infamia laborabat, repente exiles virtutes eorum concionabar.

Et meritis dignioribus eos antefere-bam, sicq; maioris eis ruinæ causâ fui.

Si videbam furem, currebam cum eo, & cùm nequitiam meam consummarē adversus filium Matris meæ ponebam scandalum.

Et à calumnia & fraudibus consanguineis meis non parcebam.

Optavi proximo meo infelicitatem, & ærumnas, in sola morte illius spem meam collocavi.

Innocentium causam non defendi, & nocentibus, quasi de eorum cruciatibus gaudens, improperavi.

Multos temerè culpæ reos esse iudicavi, & in oculo fratris mei, festucam videns, in proprijs oculis, magnam atq; crassam trabem non sensi

Acediam tanquam Matrem meam colui, fuit otium mihi frater.

Et fugi omne honestum exercitium, & laborem, torpebam per dies, & de quotidianis in me locatis beneficijs grates Deo meo non reddebam.

Quàm raro vero per noctes in lege tua, & in mirabilibus tuis meditatus sum, tu scis Domine, insomnis sæpè totam noctem duxi.

Et cùm mens mea, huc atq; illuc ab vno te vagaretur in multa, nullibi occurristi ei.

Sine te ad lectum accessi, sine te in lecto cubui, sine te a lecto surrexi: sine te illu-

fluxit dies; sine te tota nox pertransijt.

Et ideo sine te semper fui, quia mecum semper fui, qui longè absum à te in tenebroso affectu meo.

Si fortè tamen veniebas mihi aliquando in mentem, & mirabilia tua opera considerare incipiebam.

Subitò sarcinâ sæculi, (velut somnó assolet) dulciter premebar.

Et cogitationes, quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine demerguntur.

De rebus conscientiæ meæ sæpè ordinare proposui, sed delusit me semper dies præsens sub exspectatione futuri.

Supra fragile ac fallibile fundamentum innixus sum, & baculo arundineo atq; infracto incubui, & dum in eo confisus putavi me firmiter stare, cecidi in ignem, & agnovi cadens, quàm debiliter stetissem.

Inhiavi siti inextinguibili honoribus ac lucris, & in his cupiditatibus, sævissimas passus sum difficultates.

Quilibet incompositus & indisciplinatus mihi amicus erat, & venam ami-

citiæ coinquinabam ſordibus concupiſcentiæ, candoremq; eius obſcurabam.

Tartareâ libidine rapiebant me ſpectacula theatrica, plena imaginibus miſeriarum mearũ, & fomitibus ignis mei.

Nec ſolùm aditum morti non obſeravi, ſed etiam feneſtras ei aperui.

Fueruntq; ſingula membra mea feneſtræ ſingulæ, quibus mors ad animam meam intrauit.

Et ſic ſubeuntibus novis, veteres ſordes minimè expurgavi, quin potiùs multa horum in me germinauerunt peccata.

Propter quæ à facie tua eiectus ſum, Deus meus, & tuæ præſentiæ conſolatione deſtitutus, quaſi in deſperationem corruo, ignorans quò vadam.

Sed quò à te recedens ibo? aut quis in faciem meam aſpiciet, ſi tuam averteris à me, & velut reprobatum tuo me privaveris conſpectu.

Odioſus procul dubio ero omnibus hominibus, & tanquam vagus ac profugus in terra.

Jn opprobrium & deſiderium eo eis, dum quæſierint à me, vbi eſt Deus tuus, & quare repulit te à ſe.

Quid

Quid igitur faciam miſer, cùm me à protectione tua alienum, & in medio inimicorum meorum, adverſum me fortiter pugnantium à te derelictum intuebor?

Faciem tuam Domine requiram, & vultum tuum gemebundus deprecabor.

Ne derelinquas me, & ne declines in ira à ſervo tuo.

Me etenim tanquam fugitivum ſeqvuntur omnes inimici mei, vt comprehendant & occidant.

Et ideo ad te, quem fugi, confugere me oportet: Deus meus, fortitudo mea, refugium meum, & virtus mea in die tribulationis.

Sicut enim non eſt DEUS abſq; te, ita abſq; te, non eſt Salvator.

Tu ergo Domine, qui omnes miſerias meas noſti, & à quo figmentum fragilitatis meæ non eſt abſconditum, projice poſt tergum tuum omnia peccata mea.

Et iniquitatum mearum antiquarum ne memineris, ſed ſalvum me fac ſecundum miſericordiam tuam, ab omnibus perſequentibus me, & libera me.

Quoniam non eſt qui redimat, neq;

qui salvum faciat, nisi tu Domine, qui salvos facis omnes sperantes in te.

Et liberas pauperem à potente, & de manu fortiorum eius.

Ne abscondas ergo, Domine, à me faciem tuam, ne despicias me Deus salutaris meus, firmamentum meum, & liberator meus.

Quoniam pauper & inops ego sum nimis: oculi autem tui in pauperem respiciunt.

Et si iustitia tua me quæsierit, absconde me in sinu benignitatis tuæ.

Quà me ferens longanimiter ad pœnitentiam invitâsti, longanimis enim es, patiens & multùm misericors, atq; præstabilis super malitia.

Quinimò, nihil tibi magis proprium, quàm misereri semper & parcere.

Et ideo omnium misereris, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.

Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.

Convertere ergo ad me conversum ad te, eripe afflictam animam meam de omni angustia.

Ut re-

Ut repleatur os meum laude & dicat tibi, Benedictus Dominus, qui non permisit me dari in captionem dentibus adversariorum meorum.

Nisi quia Dominus mihi adiutor fuisset, fortè vivum deglutissent me; anima mea sicut passer erepta est de laqueo venantium.

Laqueus contritus est, & ego liberatus sum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS VI.

ME miserum! quid agam, quia singularis fera depasta est animam meam, & factus sum in prædam inimici?

Omnibus me spoliauit bonis, quibus tu me Domine ornâsti, & coram te tuo meo nudus apparere.

Dives ac decorus à facie tua egressus sum, & abij vagus post sordes in via corrupta, & in pravitate cordis mei, & denigrata est anima mea super carbones, & immutatus color eius optimus.

Et qui croceis nutriebar, amplexatus sum stercora, adeoq; vilibus peccatorum vestibus indutus, memetipsum exinani-

nanivi ac deformavi, secundum similitudinem prævaricationis Adæ.

Ut in imagine, in qua tu Domine creâsti me, tibi iam cognitus non sim, & quasi scabiosam ovem inter oves pascuæ tuæ me commorari non permittes.

Quomodo ergo ad præsentiam immensæ Maiestatis tuæ, in cuius conspectu Cæli non sunt mundi, vacuus, immundus, ac vilis audebo redire, & delinquendo infatuatus communicare cùm electis tuis.

Redijssem vtiq; licet pavidus ac pudefactus, paternâ tamen benignitate fretus, dulcis enim Pater es filio proficiscenti in longinquam regionem.

Sed ex diuturna peregrinatione redeunti multò dulcior; attamen redeundi ad te Deus facultate careo.

A sævissimo enim prædone vinctus teneor, non ferro alieno, sed ferreâ meâ voluntate, ex qua catenam mihi constrinxit inimicus, & in operibus, atq; in omni vitioso famulatu ad amaritudinem perducit animam meam.

Refugium meum longè est à me, quia longè à peccatoribus salus, & in misera

servi-

ſervitute mori compellor; niſi tu Domine de Cælo proſpiciens opem feras.

Jn limoſo profundi luto infixus ſum, & tempeſtas tentationum, quaſi fluctus ſævi maris obruit atq; demerſit me, ita vt imminentia pericula poſſe me evadere deſperem, niſi aſſumpſeris me Deus meus.

Quò enim ſurgere magis nitor, eò graviùs allidor, intus & foris mihi ipſi ſum moleſtus, & vtrobiq; hoſtes domeſticos invenio, qui me peſſundant.

Ad dexteram & ad ſiniſtram circumſpicio, & neminem, cui me tutò credam, video, ſed vndiquaq; metus concutit, & ad quemcunq; diverto amicum, fidelem non reperio.

Et quomodo reperiam, qui Deo meo datam fidem non ſervo? conſolantem me quæſivi in afflictionibus & calamitatibus meis, & non fuit, qui me conſolaretur, ex omnibus charis meis.

Sed incidi in homines verboſos & loquaces nimis; quin potiùs mutos, & ob hoc mutos, quoniam non ex eis ſonabat verbum tuum Deus meus.

Sed delictum oris eorum, ſermo labi-
orum

orum eorum, qui defectus meos sine compassione damnabant, & insultantes mihi, durè & inuectivè adversum me iurgia provocabant.

Stultis deceptoribus sæpè suffragatus sum, & à recto tramite declinans, in eorum sententiam ignarus ivi: sensimq; atq; paulatim ab eis perductus sum ad eas nugas & insanias, vt quamvis à vera religione (te opitulante) nunquam defecerim, crederem multas nænias.

Cæterum inexcusabilis homo ego sum, quia cùm te Deum in veritate semper cognoverim, non in veritate & spiritu adoravi.

Sed commutavi veritatem in mendacium, & servivi creaturæ potiùs quam Creatori; & in rebus corruptibilibus, me, atq; cæteras voluptates meas exquisivi.

Sed age, Domine, dulcedo mea & fiducia mea, & quemadmodum fecisti, vt in vera fide te agnoscerem, excita me in peccatis dormientem, & illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam.

Jllumina, accende & erige eos ad te, vt in lumine tuo, videant te lumen æternum, lumen indeficiens & inextingui-

bile

bile, lumen dulce & delectabile.

Videant & lætentur, atq; concupiscant decorem tuum, sciantq; nihil præter te esse diligendum.

Tu Domine, qui lux vera es, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, fac oriri hoc lumen tuum in tenebris meis, & desiderare me iustificationes tuas.

Ut vi amoris liquefacta anima mea, deficiat in salutare tuum, atq; delectationes tuas.

Animam meam dico, sed liceat mihi tuam dicere, tua enim est, quia tu eam creâsti, ac dedisti; mea verò est, quia ego à te accepi.

Custodi ergo creaturam, quam ad tuam imaginem singulariter formâsti, & ne permittas perire pretiosum donum tuum, quo me super omne opus manuum tuarum sublimâsti.

In corpore meo, & in membris meis, exige quidquid velis: induatur caro mea putredine, & consumatur vermibus: sed quæso, Domine, tantum parce animæ meæ, & in eam non extendas manum tuam.

Reduc

Reduc me in vias tuas ante Solis occasum (advesperascit enim) & coge me ire ad te, si vocare parum est,

Coge ut libet, modò vadam, & non peream propter me; quia tuâ misericordiâ toties abutens, eâ me indignum feci.

Sed propter nomen Sanctum tuum, aufer à me cor lapideum, & da mihi cor carneum, ac pone Spiritum tuum in medio mei, vt ambulem in præceptis tuis, & iudicia tua custodiam.

Serò nimis advenio, Domine, fateor, vtinam venissem citiùs, sed scio & certus sum, quòd venientibus tempus non præscribis, modò veniant.

Nec minùs benignè recipis novissimos, quamvis enim odio peccatum habeas, peccatorem tamen non odisti, nec in perditione eius lætaris.

Et ideo, etsi longam moram fecerit, tu tamen patienter exspectas eum.

O quàm dulcis, ô quàm suavis vox illa tua, Domine, in qua animæ meæ spem dedisti: fornicata es cum amatoribus multis, tu tamen revertere ad me, & ego suscipiam te.

Quàm delectabile ac iucundum verbum

bum illud, quo peccatores de ſeipſis diffidentes conſolaris: *Si impius egerit pænitentiam de omnibus peccatis ſuis, vita viuet, & non morietur, non enim voluntatis meæ eſt mors impij.*

Magna quidem iucũditate audio, cùm te dicentem audio, quòd exultantis Paſtoris humeris reportetur ovis, quæ erraverat.

Et drachma referatur in theſauros tuos collætantibus vicinis mulieri quæ invenit, & lachrymas excutit gaudium ſolemnitatis Domus tuæ, cùm legerem in ea de minore filio, quoniam mortuus erat, & revixit.

Da ergo, Domine, animæ meæ vocem virtutis tuæ, nec virtutis tantùm torporem excutientis animarum, ſed & radium lucis annuntiantem pariter hominibus peccata eorum, illuminantem abſcondita tenebrarum.

Sonet vox tua in auribus cordis mei, & dic animæ meæ dormienti; quid tam diu lethargico gravaris ſomno, & vinculis captiva detineris? hora eſt iam de ſomno ſurgere, & vt derelinquas viam tuam, atq; revertaris ad me, qui redemi te.

Rever-

Revertere Sunamitis, revertere vt intueamur te, revertere & non tardes ampliùs venire ad me, ego enim sum Dominus DEVS tuus, qui voco te.

Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, nec habeo in memoria priora.

Tunc fiducialiter dicam ego, convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.

Ad eum securè vade, & licet à vijs tuis pessimis lassata; eò citiùs perge, quò citiùs requiescere concupiscis.

Noli deterreri peccatis tuis, si enim fuerint vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & sicut nebula delebuntur; nec de audacia accusari verearis, vbi de obedientia laudaris.

Vade & propera anima mea ad eum, qui non venit vocare iustos, sed peccatores, etsi peccatrix es, Deus peccatorum, Deus tuus est.

Quid ergo ire times? quæ non à severo iudice vocaris, sed à Patre misericordiarum, vt misericordiā consequatis.

Jdeo vade nunc lubens ad misericordiam vocata, ne postea ad iudicium compulsa vadas.

In te jam Domine & Pater inclyte confido, & non erubescam confiteri tibi deformitates, & blasphemias meas, qui non erubui profiteri eas coram hominibus, & latrare adversum te.

Murmuret Pharisæus & dicat, quis potest dimittere peccata nisi Deus? mihi etenim, qui ad cor loquitur, Deus est.

Cujus sermo vivus & efficax, qui me vocat, pius ac tranquillus est, & qui non solet continere in ira sua misericordias suas.

In verbo itaq; tuo securus ibo ad te, Deus meus, fiducia mea, & portio mea in terra viventium.

Ibo procidens ante te, & Majestatem tuam non timebo, quoniam tu vocas me, & ne offendam oculos tuos dum immũdus appareo in conspectu tuo.

Sordes meas abluam lachrymis assiduis, & palpebra à fletu non quiescet, sed erit lectus meus conscius doloris mei.

Quò tibi placeo, dum mihi displiceo, & per te, ad te conversus, de commissis pœniteo, ut mundo corde laudem te dicens.

Domine quis similis tibi, tunc enim speci-

ſpecioſa erit laus in ore peccatoris, & qui ſeminavit in lachrymis, in exultatione metet.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS VII.

Miſerere mei, Deus, quoniam tribulor, & inenarrabilibus urgeor miſerijs.

Torrentes enim iniquitatis conturbāt me, & intraverunt aquæ uſq; ad animam meam.

Ita, ut quaſi fluvius inundans peccata mea, quæ hactenus diſſimulavi, confiteri quoq; & emendare neglexi, couſq; excreverint.

Ut ſupergreſſæ ſint caput meum, & à ſenſuali appetitu, concupiſcentiam, mentem & voluntatem meam inflexerint, immò ſervituti diaboli me ſubjecerint.

Væ mihi, quia totus lethaliter plagatus ſum, & à planta pedis, uſq; ad verticem nulla eſt in me ſanitas.

Supplantavit enim me inimicus meus, & tanquam crudeliſſimus tyrannus in me ſæviens, omnibus ſenſibus privavit, relinquens ſolum intellectum.

Ut de damno & jactura mea addendo scientiam, adderet etiam & dolorem.

Parum quidem noceret, si omnimodâ functione sensuum orbaret, & in cunctis actionibus meis prorsus insensibilem me fecisset.

Sed orbavit ad bonum, & vim intulit ad malum.

Et stupore quodam insensibilitatis internæ, animum meum per exteriora effusum sic effecit, ut damna interiora non sentirem.

Cùm enim audire expediebat; surdus eram, & à veritate auditum avertebam.

Cùm autem aures obturare æquum erat, ne audirent inutilia, & ineptias multorum, velox tunc ad audiendum, & benevolus auditor semper eram.

Cælestia tanquam insipida gustabam: & ab omni spirituali cibo nauseabat anima mea.

Terrena verò super mel, & favum dulciora judicabam.

Ad contemplanda quæ DEI sunt, cæcus & animalis homo eram.

Quæ verò mundi sunt, superbo oculo videbam, & insatiabili corde cupiebam.

Nec in ſenſibus tantùm, ſed & in mẽbris meis, quæ dedit mihi Deus in miniſterium animæ meæ, viam ſalutis mihi recluſit antiquus hoſtis.

Et tales in hac dira obſidione mihi paravit inſidias, ut eas vitare nunquam potuerim, ſed quoties fugam tentavi, incidi in manus ejus.

Peccavi enim videns, & videre volens, obſurdeſcens & audire volens, tacens & loquens.

Stans, & ſedens; dormiens & vigilans, ambulans & quieſcens.

Omnem deniq; proprium & communem uſum ſenſuum & membrorum, in turpem abuſum immutavi.

Exardeſcens immundis deſiderijs meis adeo, ut omnem legem naturalem, Divinam & humanam tranſgreſſus ſim.

Et in ſola peccati lege obſervanda diligens fuerim.

Utinam fuiſſem & jam non eſſem, ſed heu! quoniam idem qui antea fui, adhuc ſum, nihilq; mutatus ab illo, deteriora ſequor.

Adhuc enim præſidens voluntas languida dominatur: & anima mea fœdiſſima,

sima, horrendis ulceribus undiq; scaturiens.

Non aliunde quàm à se ipsa in pristinis malis perseverat.

Sæpè mihi irascor, quia tædet me vivere, cùm non tædeat peccare.

Cognosco stultitiam meam & confundor, ac confusus me reprehendo.

O carnalis amator, cur in luto concupiscentiarum tuarum tam diu jaces!

Quid tantâ sollicitudine de rebus mortalibus satagis, & peritura bona tam vehementi affectu cupis?

Aut quâ ratione bona dicis, quæ cum nimio labore, & magno animæ tuæ detrimento acquiris.

Acquisita cum timore possides, possessa cum dolore amittis.

Cur anima mea propriæ conditionis, & nobilitatis tuæ oblivisceris, & sub putredine corporeorum sensuum, miseram & contumeliosam servitutem gerere nõ erubescis?

Cur infida mundi promissione deciperis, nec advertis, quòd illius summum donum, vapor est ad modicum parens, & vanitas vanitatum.

Erubesce, erubesce peccator miserrime, quoties ad fallaces creaturas conversus, à Creatore tuo recessisti.

Et rediens ad temetipsum, vide qualicunq; oculo mentis tuæ, quàm crudeliter miseræ venationis obtentu anima tua evisceravit semetipsam.

Dum vilem muscarum prædam immoderato captans desiderio aranearum instar ex proprijs visceribus sibi retia intexuit.

Erubesce iterum, atq; iterum, dico, in quibus nullum fructum habuisti.

Et amissum tempus plora, ut fructum afferat tibi erubescentia: præbe cor tuum Deo, & solves, quod debes.

In his sermonibus exacerbor in me, dum interiùs admonitus, intro in interiora mea.

Conferens in corde meô, quid amiserim, & quid invenerim.

At non quod probo, bonum, sed quod volo, malum, hoc ago.

Velle enim meum tenet inimicus, & configuratum prioribus ignorantiæ meæ desiderijs captivat me, in lege peccati.

Sed tu Domine Deus virtutum, turris

fortitudinis meæ, & dominator vitæ meæ, auxilium tuum ne elongaveris à me.

Ad defensionem meam conspice, & protege me sub umbra alarum tuarum, ne corruam in conspectu adversariorũ meorum.

Et de me gaudens inimicus meus, ne dicat, prævalui adversus eum.

Disrumpe vincula improperij mei, sub quibus incurvatus sum, & funes peccatorum meorum, quibus fortitèr constrictus sum, solve potentissime Domine.

Et notam fac inimicis potẽtiam tuam, ut immolem tibi hostiam jubilationis dicens.

Quis loquetur potentias Domini? aut quis enarrabit omnes laudes ejus? qui eripuit animam meam de morte, & pedes meos à lapsu.

Qui salvavit me de ore Leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam.

Ad quem clamabo nisi ad te? ad quem clamaverunt omnes Patres nostri & salvi facti sunt.

Ad te, inquam, qui non frustraris sperantes in te.

Pone itaq; me, Domine, juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.
Nulla enim timebo mala, quoniam tu mecum es.
Ante te omne desiderium meum, dele & detrahe, quod planè alienum est à te.
Innova, crea, & confirma, quodcunq; dederis in te.
Ut abjectis carnalibus & inutilibus desiderijs, laudetur peccator in desiderio animæ meæ.
Et te sola verâ iucunditate frui desiderans, intret postulatio mea in conspectu tuo, ut in confidentia dicam tibi.
Desiderium animæ meæ, tribue ei Deus meus: scio namq; & certus sum, quòd nemo poterit desiderare te, nisi per te.
Nec ire ad te, nisi tu traxeris eum.
Trahe ergo, Domine, & da mihi incipere in bono desiderio, ut illud perficiam in bono opere.
Antequam novum propositũ mos vetustus opprimat.
Et prior voluntas vetustate roborata novam superet.

Ut cùm recta placent, non revertar ad solita.

Indue me pretiosis vestimentis salutis decoris tui, & denuda me vilibus viduitatis meæ indumentis.

Quibus deorbatus secundum pristinã conversationem veteris hominis incedo, & noli opprobrij viduitatis meæ recordari ampliùs.

Ut in te noviter indutus, atq; novus homo factus, novo spiritu in novitate vitæ serviam tibi.

Et in fragrantia unguentorum tuorũ ad te currens, gaudeam in IESU Salvatore meo.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Ego Sum Possessor Huius Libri

Clemens Andreas Borecki

Notarius

Generalis

Brensis

MODUS
Visitandi & Adorandi SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM.

Qui vult in necessitatibus suis habere subsidium, in tribulatione solatium, in omni rerum eventu præsentissimum consilium; sæpè sæpius, vel saltem ter in die, visitet in Ecclesia SS. Eucharistiæ Sacramentum. Quodsi longiùs distet Ecclesia, etiam domi suæ prostratus in terram & conversâ facie ad eam Ecclesiam, in qua conservatur Venerabile, potest quilibet *facere eas, vel similes adorationes, docente S. Chrisost: Hom. 29. ad populum.* Ubicunq; sis, potes Altare tuum constituere: nihil enim locus prohibet, nec impedit tempus. Ubicunq; sis, ora: Templum es, ne locum quæras.

ADORATIO SANCTISSIMI SACRAMENTI.

DOmine Iesu Christe, Salvator & Redẽptor meus; corã Divina Majestate tua prosterno me; teq; summâ devotione,

ne, & toto cordis mei affectu adoro & saluto, in hoc Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento verè præsentem. Desideroq; per hanc adorationem reparare omnes irreverentias, prophanationes, & impietates, contra tuam Summam Majestatem, in hoc Sacramento contentam, commissas.

Adoro te, mi bone Iesu, summâ devotione, nomine eorum, qui nunquam tibi debitum honorem & reverentiam in hoc Sacramento reddiderunt, nec reddent.

Adoro te, dulcissime Iesu, desideroq; toto cordis mei ardore, exhibere tibi tantum honoris, laudis, & benedictionis; quantùm damnati exhibent tibi injuriarum & contumeliarum, toto tempore suppliciorum suorum; Et quoniam ipsi te adorare & benedicere nolunt; egó nomine ipsorum te adoro & benedico.

Adoro te, Domine Iesu, & cupio tibi talem exhibere honorem, qualem Spiritus Sanctus inspiravit Sanctissimæ Matri tuæ, Omnibusq; Sanctis, ad colendum & adorandum te.

Adoro te, inquam, & talem exhibeo honorem, qualem Deus æternus exhibet

tibi

tibi in hoc augustissimo Sacramento, & rogo te, ut magis respicere digneris desiderium cordis, quàm verba oris mei.

Actus alius Adorationis SS. SACRAMENTI.

Affectu omnium Sanctorum.

DOmine IESU Christe, ego te in hoc SS. Sacramento præsentem adoro, illo affectu, quo te in cunis adorârunt Pastores & Magi.

Adoro te illo affectu, quo te adorabat in terris viventem, & nunc in Cælo adorat pretiosissima Parens tua.

Adoro te illo affectu, quo te adoravit Centurio, & omnes Viatores devotè cōmunicantes.

Adoro te deniq; illis affectibus laudis & adorationis, quibus te adorarunt, adorant, & totâ æternitate adorabunt, omnes beati Cælites. Quorum voce & affectu, tibi DEO vero meo hîc præsens decanto: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEus Sabaoth.

Dignus es, Domine, accipere Honorem, & Gloriam, & Benedictionem. Tibi hic

bi hîc præsenti Deo & Agno sit Honor, & Glora, ab omnibus, in omnibus, & super omnia.

ADORATIO ALIA.

AVe verè Corpus natum ex Maria Virgine,
Verè passum, immolatum, in Cruce pro homine.
Cujus latus perforatum, undâ fluxit & Sanguine.
Esto nobis prægustatum, in mortis examine.
O clemens, ô pie. O Iesu Fili Mariæ, miserere nostri.

ORATIO S. FRANCISCI,

O Domine Deus meus, quis es tu, & quis ego? Ecce hîc flecto ante te, Domine, tanquam mendicus ante Divitem; petens ut divitias gratiæ tuæ, mihi pro modulo meo, impertiri velis.

O Domine Iesu, hîc flecto ante te, ut servus ante Dominum, petens cibum & potum Corporis & Sanguinis tui, simul & vestem Charitatis, quæ operit multitudinem peccatorum.

O Domine, hîc flecto ante te, ut reus, ante Iudicem terribilem; petens, ut mihi Iudex pius esse velis, quando anima mea separabitur, & ante Tribunal tuum præsentabitur.

O Domine, hîc flecto ante te, sicut amicus ante amicum; petens ut eximia charitas tua, trahat me ad te, liget me in te, & non permittat me unquam separari à te.

O Domine, hîc flecto ante te, tanquã Filius ante Patrem, petens confidentèr, ut necessaria & salutaria quæq; mihi provideas & paternam hæreditatem non denegare velis.

LAVS SS. SACRAMENTI.

Laudetur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum tot laudibus.

QUot in Cælo Stellæ, in igne scintillæ, in äere atomi, in mari guttæ, in terra pulveres; quot vere flores, æstate grana: authumno folia, hyeme nives, quot corporeæ in universo creaturæ.

Lau-

Laudetur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum tot laudibus.

QUot omnes Angeli: quot Sanctissima Trinitas, suâ potentiâ depromere, Sapientiâ concipere, Bonitate optare potest: omni modo, omni loco, omni tempore, in æternùm, & ultra

Hæc laus SS Sacramenti, in Missæ Sacrificio celebrando, vel audiendo dici potest circa Elevationem, vel post Communionem mente.

Communicando dic.

COrpus tuum Venerabile, & Sanguis tuus pretiosus, Domine IESU Christe, corpus & animam meam, custodiat in vitam æternam. Amen.

MODUS COLENDI B. V. MARIAM.

LITANIÆ

De eadem Beatissima Virgine MARIA.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cælis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo virginum.
Mater Iesu Christi,
Mater divinæ gratiæ,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,

Ora pro nobis.

Mater Salvatoris, Ora pro nobis.
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda.
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiæ,
Sedes sapientiæ,
Causa nostræ lætitiæ,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris Eburnea,
Domus aurea,
Fæderis Arca,
Ianua Cæli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,

Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

Regina Apostolorum, Ora pro nobis.
Regina Martyrum, ora.
Regina Confessorum, ora.
Regina Virginum, ora.
Regina Sanctorum Omnium, ora.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, &c. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, &c. Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Ave Maria, gratiâ plena, &c.

SUb tuum præsidium confugimus, Sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus; sed à periculis cunctis, libera nos, semper Virgo gloriosa & benedicta. Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra; Tuo Filio nos reconcilia; Tuo Filio nos commenda; Tuo Filio nos repræsenta.

℣. *Ora pro nobis Sancta Dei genitrix.*
℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

ORATIO.

GRatiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde; ut qui,

Angelo nuntiante Christi Filij tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus & Crucem ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

AD S. JOSEPHUM,

℣. *Ora pro nobis Beatissime* IOSEPH.

℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

ORATIO.

SAnctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur; ut quod possibilitas nostra non obtinet: ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis & regnas Deus, &c.

Litanias de Nomine Iesu recitantes, trecentos dies: de B. V. Maria, ducentos consequuntur Indulgentiarum.

ORATIO.

Ad B. Virginem Mariam.

MEmorare, ô piissima Virgo MARIA, non esse auditum a sæculo, quemquam, ad Tua currentem præsidia; Tua implorantem auxilia; Tua petentem suffragia, esse derelictum. Ego tali animatus

matus fiducia ad Te Virgo virginum curro: ad Te venio; coram Te gemens peccator assisto. Noli quæso, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia & exaudi. Impetra mihi purum amorem erga Filium tuum, & erga Te. Amen.

OBLATIO CORDIS CHRISTI *Beatæ Virgini* MARIÆ.

DUlcissima MARIA, nihil tibi acceptius Corde dilecti Filij Tui: hoc tibi offero semper, in æternum, & ultra.

SALVTATIO Quinque Dolorum B. V. Mariæ.

Quidam ex Sanctis Patribus, audivit in Spiritu Christum quærentem à Matre sua. Qui fuissent dolores ejus cæteris majores? At illa: Quinque fuêre acutissimi dolores mei.

1. *Cùm Simeon Te occidendū prophetavit.*
2. *Cùm Te dilectissimū perdidi per triduū.*
3. *Cùm Te captum, & ligatum, à Iudæis audivi.*
4. *Cùm Te Cruci affixum vidi.*
5. *Cùm Te in Sepulchrum deponi vidi.*

Ad hæc Christus Matri suæ.

Qui me ad imum dolorem Tuum, salutaverit uno Pater noster, & Ave Maria. Dabo ei cognitionem & contritionem omnium peccatorum.

Qui ad 2dum. Dabo ei remissionem peccatorum.

Qui ad 3tium. Dabo ei virtutes, quas per peccatum amiserat.

Si ad 4tum. Dabo ei donum gratiæ, & cibabo eum ante mortem ejus Corpore meo.

Si ad 5tum. Apparebo ei in morte, & recipiam eum in vitam æternam.

Salutabis itaq; sic.

AVe dulcis Mater Christi,
Quæ dolebas corde tristi,
Te docente Simeone,
De diro mortis mucrone.
Si memor hujus doloris
Nunc, & in omnibus horis,
Fac me piè memorari
Pœnam mortis Tui chari.

Pater noster, & Ave Maria.

Salve dulcis Mater Christi,
Quæ dolebas corde tristi,
Natum inquirens inclytum,
Tribus diebus perditum:

Pro

Pro hac tua mœstitia,
Fac me in ejus gratia,
Inventum per Te pleniter,
Perſeverare jugiter.

Pater noſter. Ave Maria.

Salve dulcis Mater Chriſti,
Quæ dolens, & flens vidiſti
Captum, vinctum, dirè cæſum,
Plenum probris dulcem Ieſum:
Hujus memor triſtitiæ,
Tu Mater miſericordiæ,
A Dæmonis inſidijs
Serva me & opprobrijs.

Pater noſter. Ave Maria.

Salve dulcis Mater Chriſti,
Quæ dolens, & flens vidiſti,
Cruci nexum ſpecioſum
Ieſum, factum ut leproſum:
Per dolorem hunc tam fortem,
Et per Nati Tui mortem,
In hora mortis ultima,
Adſis mihi chariſſima.

Pater noſter. Ave Maria.

Salve dulcis Mater Chriſti,
Quæ de Cruce ſuſcepiſti,
Ulnis Ieſum jam mortuum,
Piorum plena fletuum:

Ulnis Tuæ Clementiæ
Fove me, Mater gratiæ,
Cum omnibus fidelibus,
Solamina poſcentibus.

Pater noſter. Ave Maria.

BENEDICTIO
Nominis Ieſu, & Mariæ.

BEnedictum ſit dulciſſimum Nomen Domini noſtri IESU Chriſti: & glorioſiſſimæ Matris ejus MARIÆ Virginis in æternum & ultra.

Nos cum prole pia, Benedicat Virgo MARIA.

Hanc Oratiunculam recitantibus Indulgentiam Trium annorum Clemens IV. Pont. M. conceſſit.

OBLATIO
Suiipſius B. Virginis Mariæ.

SAnctiſſima, glorioſiſſima, ſuperbenedictiſſima, ac digniſſima Mater DEI, immaculatiſſima ſemper Virgo MARIA, Cæli & terræ Regina, advocata & Domina mea: Ego N. viliſſimus & ſuperbus peccator, quamvis ob multa, & gra-

via mea delicta ac ingratitudines indignissimus sim, ut puro, sanctoq; compaream tuo conspectui, & millies æternis dignus tormentis; sumptâ nihilominus fiduciâ, in maxima tua bonitate, clementia, & misericordia tua confisus: offero, dono, & consecro, in æternùm, dulcissimo & sacrosancto Cordi Tuo; in præsentia totius Curiæ cælestis, totum miserum, & tepidum cor meum, animam, mentem, vires, corpus, sensus interiores & exteriores; quantùm habeo, & quantùm unquam habere possum intra & extra me. Supplicans toto cordis, animiq; quo possum, affectu, atq; tali affectu, quali etiam universa Ecclesia Catholica, & tota Cælestis Curia, ut digneris, ptopter pretiosissimum Unigeniti Filij Tui Domini nostri Iesu Christi, Salvatoris nostri Sanguinem, hanc meam acceptare oblationem in odorem suavitatis; & mihi impetrare perfectam omnium peccatorum meorum contritionem, & emendationem: nec non gratiam omnes vitandi & vincendi tentationes, & difficultates in Divino servitio & officio occursuras. Omnium affectuum inordinato-

natorum expurgationem: rerum terrenarum odium, nauseam rerum sensualium, & gustum rerum Spiritualium: Præcipuè verò Sanctorum Sacramentorum frequentationem, fervens studium sanctarum tuarum imitandarum virtutum; fortem patientiam in adversitatibus: in prosperitatibus humilitatem: in bonis propositis constantiam; perfectam in omnibus cum Divina voluntate conformitatem: Omnibus in rebus liberationem omnis mali, & impetrationem cũcti boni, cum perfecta in Divina gratia, usq; ad mortem perseverantia: ita, ut Tibi, Tuoq; Filio, diligentèr, & fidelitèr in hac præsenti serviam vita, atq; in altera perennitèr Te merear videre in Cælo. Amen.

SALUTATIO
Singulorum Membrorum Beatæ Virginis MARIÆ.

DUlcissima Domina, adoro, & benedico beatissimos pedes tuos, quibus Dominum super terram portâsti.

Dicatur bis Ave Maria.

Dul-

Dulcissima Domina, adoro, & benedico beatissimum uterum Tuum, in quo ipsum bajulâsti. *1. Ave Maria.*

Dulcissima Domina, adoro, & benedico, pijssimum Cor Tuum, undè in eum firmitèr credidisti, & ferventèr eum dilèxisti. *1. Ave Maria.*

Dulcissima Domina, adoro, & benedico, manus tuas purissimas, quibus eum nutrivisti. *2. Ave Maria.*

Dulcissima Domina, adoro, & benedico Ubera tua sanctissima, quibus eum lactâsti. *2. Ave Maria.*

Dulcissima Domina, adoro, & benedico, Os, & linguam tuam, quibus suaveolentē fragrantiam humanitatis ejus sensisti. *2. Ave Maria.*

Dulcissima Domina, adoro, & benedico Aures tuas benedictissimas, quibus dulcia ejus eloquia delectabilitèr auscultâsti. *2. Ave Maria.*

Dulcissima Domina, saluto, & benedico Oculos tuos suavissimos, quibus eum devotè respexisti. *2. Ave Maria.*

Dulcissima Domina, saluto, & benedico Corpus, & Animam tuam sanctissimam, quæ Christus Filius Tuus, in te omni

mni benedictione consecravit. 2. *Ave Maria.*

Sancti & devoti Viri testantur, qui idem experti sunt. Nullum posse adinveniri modũ servitij, qui magis placeat purissimæ Matri Dei, hac salutatione Sanctissimorum Membrorum ejus. Quam in modum quotidianæ pensionis cum singulis, ad singula Membra, genuflexionibus devotus Cultor B. V. Mariæ, persolvere poterit.

SALVTATIO ALIA B. V. MARIÆ.

AVe MARIA Filia DEI Patris.
Ave MARIA Mater Filij DEI.
Ave MARIA Sponsa Spiritus Sancti.
Ave MARIA Templum totius Sanctissimæ TRINITATIS.

Recitanti hanc Salutationem, Triginta Annorum Indulgentiam Vrbanus VI. Papa Maximus concessit.

ORATIO *Ad Mariam Matrem Dei, & Filium ejus Iesum.*

Ave

AVe Mundi ſpes MARIA,
Ave mitis, Ave pia,
Ave plena gratiâ,
Omnis boni copia.
Ave Virgo Mater Chriſti,
Tu, quæ ſola meruiſti
Eſſe Mater ſine viro,
Et lactare more miro.
Angelorum Imperatrix,
Peccatorum Conſolatrix,
Conſolare me lugentem,
In peccatis jam fætentem.
Conſolare peccatorem,
Et ne tuum des honorem
Alieno, aut crudeli,
Precor te Regina Cæli.
Me habeto excuſatum,
Apud Chriſtum tuum Natum,
Cujus iram expaveſco,
Et furorem pertimeſco.
Nam peccavi ipſi ſoli,
O MARIA Virgo, noli
Eſſe mihi aliena,
Gratiâ Cæleſti plena.
Eſto Cuſtos cordis mei,
Signa me timore DEI,
Confer vitæ ſanitatem,
Et da morum honeſtatem.

Da peccata me vitare,
Et quod justum est, amare:
O dulcedo Virginalis,
Nunquam fuit, nec est talis.
Inter Natos mulierum,
Omnium Creator rerum,
Te elegit Genitricem,
Qui MARIAM peccatricem
Emundavit à reatu;
Ipse me, tuo precatu,
A peccatis cunctis tergat,
Ne infernus me demergat.
Eia Rosa sine spina,
Peccatorum medicina,
Pro me Christum interpella,
Ut me salvet à procella
Hujus mundi, tam immundi,
Cujus fluctus furibundi,
Omni parte me impingunt,
Et peccati zonâ stringunt.
Christe Fili summi Patris,
Per amorem Tuæ Matris,
Cujus venter Te portavit,
Et Te dulci lacte pavit.
Te per ipsam rogo supplex,
Quia tu es salus duplex,
Salus rerum mundanarum,
Atq; salus Animarum.

Te nunc precor licet reus,
Miſerere mei DEUS;
    Miſerere Chriſte mei;
    Miſerere Fili DEI.
Miſerere miſerator;
Quia verè ſum peccator:
    Tu peccata dele mea;
    Et cor mundum in me creà.
Da ſpem firmam, fidem rectam,
Charitatemquè perfectam,
    Et concede finem bonum,
    Quod eſt ſuper omne donum.
Ut in corde ſic compungar,
Tibi Chriſte ut conjungar,
    Fac me dignè manducare,
    Corpus Tuum ſalutare.
Ira tua non me gravet,
Sanguis Tuus ſic me lavet,
    Extra corpus & in corde,
    A peccatis, & à ſorde.
Ut dum inſtet hora mortis,
Angelus tunc adſtet fortis;
    A Te datus mihi Cuſtos,
    Qui me locet inter juſtos.
Mors ſi carnem meam frangat,
Mors ſecunda non me tangat;
    Licet caro computreſcat,
    Spiritus in te quieſcat;

Ut dum surgam Te visurus,
Semper Tecum sim mansurus.
A Te nunquam recessurus,
Et Te semper laudaturus.

Audi nos, quam Filius nihil negans honorat: Salva nos, IESU, pro quibus Virgo Mater Te orat.

Devotè recitantibus hanc Orationem, Trecentos dies Indulgentiarum Cælestinus Papa concessit. Ex horto animæ.

ALIA ORATIO.

SAncta MARIA, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles: ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo sexu: sentiant omnes Tuum juvamen, quicunq; celebrăt Tuam sanctam commemorationem.

℣. *Ora pro nobis Sancta Dei genitrix.*

℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

COncede nos famulos tuos, quæsumus Domine DEUS, perpetuâ mentis & corporis sanitate gaudere: & gloriosâ Beatæ MARIÆ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitiâ, & æternâ perfrui lætitiâ. Per Christum Dominum nostrum.

NB,

NB. Una Oratio Dominica vivaciter dicta, præstat toti Rosario distractè dicto.

Pro obtinenda venia peccatorum.

AVe præclarissima Virgo MARIA, ego tuis pedibus advolutus, obsecro per Sacratissimam Incarnationem, Vitam, Passionem, & mortem dilectissimi Filij Tui, ut impetres mihi plenam veniam peccatorum, mortificationem vitiorum, impetra spiritum bonum, & gratiam salutarem, ac me, ipsi Filio Tuo, Tibiq; placentem reddas.

HYMNUS

Ad dolorosam Virginem Mariam.

STabat Mater dolorosa,
Juxta Crucem lachrymosa,
Dum pendebat Filius.
Cujus animam gementem,
Contristantem & dolentem,
Pertransivit gladius.
O quàm tristis & afflicta,
Fuit illa benedicta,
Mater Unigeniti.
Quæ mærebat & dolebat,

Et tremebat, cùm videbat,
Nati pœnas inclyti.
Quis eſt homo, qui non fleret,
Chriſti Matrem ſi videret,
In tanto ſupplicio?
Quis non poſſet contriſtari,
Piam Matrem contemplari,
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis ſuæ gentis,
Vidit IESUM in tormentis,
Et flagellis ſubditum.
Vidit dulcem ſuum Natum,
Morientem, deſolatum,
Dum emiſit Spiritum.
Eia Mater fons amoris,
Me ſentire vim doloris,
Fac ut tecum lugeam.
Fac ut ardeat cor meum,
In amando Chriſtum DEUM,
Ut tibi complaceam.
Sancta Mater iſtud agas,
Crucifixi fige plagas,
Cordi meo validè.
Tui Nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum divide.
Fac me verè, tecum flere,

Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta Crucem tecum ſtare,
Te libenter ſociare,
In planctu deſidero.
Virgo Virginum præclara,
Mihi jam non ſis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac ut portem Chriſti mortem,
Paſſionis ejus ſortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Cruce h c inebriari,
Ob amorem Filij.
Inflammatus & accenſus,
Per Te Virgo ſim defenſus,
In die Judicij.
Fac me Cruce cuſtodiri,
Morte Chriſti præmuniri,
Confoveri gratiâ.
Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur,
Paradiſi gloriâ.

℣. *Ora pro nobis Virgo doloroſiſſima.*
℟. *Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.*

ORATIO.

INterveniat pro nobis, quæsumus Domine Iesu Christe, nunc, & in hora mortis nostræ, apud Tuam clementiam Beata Virgo Mater Tua; cujus sacratissimam Animam, in hora Passionis Tuæ doloris gladius pertransivit. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Inflammatus & accensus,
Pe Te Virgo sim defensus,
In die Judicij.

Ad IEsum, & Mariam.

AMore Matris anxiæ,
Bone Iesu; Nostræ parcas miseriæ.
Virgo, Tuum Filium in Cruce clavatum,
Redde tuis precibus, miseris placatum.
MARIA Mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis horâ suscipe.

BEata viscera MARIÆ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium: Et beata Ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum.

SALU-

SALUTATIO
Beatissimæ Virginis Mariæ.

QUot maris sunt guttæ: quot Cæli stellæ: quot Beatorum Spirituum agmina: Quot arborum folia: totiès ex intimo cordis mei domicilio, Te saluto: ô dignissima, ô pulcherrima: ô Gloriosissima Mater DEI, Cæli Regina, & Mundi Domina.

Saluto Te in unione amoris, & per Cor dilectissimi Filij Tui IESU Christi, atq; omnium Te amantium; meq; Tibi commendo, atq; in proprium Filium, immò in perpetuum mãcipium assigno.

Obsecro Te igitur Sanctissima Mater, per amorem, Sanguinem, & mortem dilectissimi Filij Tui, ut semper habeas curam mei, meq; ab omni peccato protegas ac liberes.

Ad Te Virgo Virginum, Regina Cælorum, & Angelorum Domina confugio, ad Te venio, ad Te Stella maris curro, exaudi miserum, in hac lacrymarum valle, ad Te clamantem, nunc & semper, maximè in hora mortis meæ, ô Clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA.

MODUS

Obtinendi, quidquid petieris à Beata Virgine MARIA.

PEr æternam Prædestinationem Tuam.
Per immaculatam Conceptionem Tuam.
Per sanctam Nativitatem Tuam.
Per dulcissimum Nomen Tuum.
Per devotam Præsentationem Tuam.
Per Cælestem in terris Conversationem Tuam.
Per purissimam Desponsationem Tuam.
Per salutiferam Annuntiationem Tuam.
Per supervenientem in Te Spiritus Sancti obumbrationem.
Per humilem Visitationem Tuam.
Per Virgineum & hilarem Partum Tuũ.
Per intemeratam ac perpetuam Virginitatem Tuam.
Per mundissimam Purificationem Tuam.
Per sanctissimam Conversationem Tuã cum dilecto Filio Tuo.
Per gladium doloris, qui pertransivit Animam Tuam.
Per gaudia Resurrectionis Filij Tui.

Per

Per supereffluentem in Te, in die Pentecostes, gratiæ plenitudinem.
Per admirabilem Assumptionem Tuam.
Per gloriosam Coronationem Tuam.
Per viscera misericordiæ Tuæ.
Impetra mihi sanitatem corporis.
Impetra veniam omnium peccatorum meorum, ô MARIA.

ORATIO
Sancti Francisci.

SAncta Deigenitrix dulcis & decora, Regem morti traditum Filium Tuum dulcissimum Dominum nostrum IESUM Christum, pro nobis exora: ut ipse per suam pijssimam clementiam, & virtutẽ Sanctissimæ Incarnationis, & mortis ipsius acerbissimæ, nobis indulgeat peccata nostra.

Mater DEI,
Memento mei.

ORATIO
AD B. V. MARIAM.

In qua Pœnitẽs, pro Servitÿs in infantia Chri-

ſto impenſis, offert Cor ſuum lachrymis B. M. V. mundandum.

O Virgo benedictiſſima, & Regina, cordis mei dulciſſima: quàm magnas Tibi debeo gratias, pro novem illis menſibus, quibus puriſſimis tuis viſceribus IESUM, Salvatorem meum geſtâſti. Pro lacte ſancto tuo, quo ab infantia eum nutriviſti. Pro materna ſolicitudine & labore ei, in Cunis adhuc vagienti impenſo; pro innumeris alijs obſequijs & ſervitijs, quæ in infantia dilecto tuo præſtitiſti.

Quas tibi referam gratias, pro curis & laboribus adhibitis, quando Herodis fugiendo perſecutionem, in longinquas Ægypti Provincias eum abduxiſti.

Quas, pro exceſsivo illo dolore, quem ſenſit Anima tua, dum illum amiſſum inter Cognatos & notos trium dierum ſpatio magnâ ſolicitudine requiſiviſti.

Quantas, inquã, tibi agam gratias, pro illis moleſtijs, perſecutionibus, pro laboribus & doloribus, quos paſſa es, à primo Nativitatis illius die, præſertim, Quando magnâ animi tui amaritudine cernebas

in

in Spiritu dilectissimum Filium tuum potestati tenebrarum traditum, catenis ferreis vinctum, per devia raptatum, omnium pedibus conculcatum, illusum, consputum, velatum, colaphizatum, mille blasphemijs, totidemq; convitijs impetitum.

Quid retribuam tibi, quid rependam, ô Virgo dulcissima? Magna & pretiosa dona, non invenit manus mea, nec tamen in conspectu tuo, vacuus apparere possum.

Defero itaq; tibi Cor meum, gladio compassionis, & dilecti Filij Tui passione transfixum.

Sed quomodo ego peccator sordidus, & concha putredinis audebo cor meum impurum, & innumeris inquinatum sceleribus, manibus tuis tradere illibatis! Utinam, vel cor mundum esset in me, posset utiq; sustineri? Verùm à planta pedis, usq; ad verticem, non est munditia in me: Omnes quippe justitiæ meæ, quasi pannus menstruatæ, quantò magis iniquitates & peccata fœda erunt, & immunda? Sed quid ego obscænitates meas refero auribus illibatis?

 Pudet

Pudet me, Virgo formosissima, pudet inquinatū totum coram te apparere. Ast ubi apparebit sordidus, si non juxta puteum aquarum viventium? Aut à quo peccator mundabitur, si non à fonte misericordiæ?

Deficientibus itaq; meritis meis, sordes meas offero, peccata mea, quæ deleas. Ut quid enim exitus aquarum deducunt misericordes oculi tui, nisi abluendis sordibus meis?

Accipe igitur Cor meum, ô Virgo benignissima. Non enim sola mundabis illud, quia & ego die, ac nocte, per singulos dies, pœnitentiæ scopis à sordibus mundabo illud, & copioso lachrymarū fonte, abluam à maculis, donec emundetur totum, & macula non sit amplius in eo.

Verùm non tantùm Cor meum, sed & me ipsum totum offero tibi, ô gratiosissima Virgo. Accipe me totum in famulum, vel potiùs in mancipium tuum, te, dulcissima Virgo, quâ possum animi gratitudine, quâ possum Cordis submissione, deprecor.

Et ut acceptior sit hæc oblatio mea, adhuc

adhuc unum superest mihi munus, quod offeram tibi. Et illud unicum est, Cor tuum Sanctissimum, doloris gladio transverberatum. Illud itaq; tibi offero, unà cum corde meo, ut tibi hoc meo sacrificio placeam semper.

BENEDICTIO
Omnium Partium Corporis SS. Virginis MARIÆ.

TOta pulchra es MARIA, & macula non est in te. Speciosa & labis omnis expers ô Virgo purissima, Cælorum Regina, Imperatrix Angelorum, Domina mundi, & Mater DEI, ac proinde sis in æternum benedicta.

Benedictum sit Caput Tuum, cælesti sapientiâ plenum.

Benedicti sint capilli tui, castissimas mentis tuæ cogitationes significantes.

Benedicti sint gratiosi Oculi tui, quibus prima videre meruisti DEI Filium.

Benedictæ sint maxillæ tuæ, quas solus IESUS infantulus attrectavit, & deosculatus est.

Benedictum sit mellifluum os tuum, quod

quod suavissima oscula Dei Filio impressit.

Benedicta sit sanctissima lingua tua, quæ prima post Angelum Sanctissimum Nomen Iesu nominari meruit.

Benedictæ sint aures tuæ, quæ primæ ab ore Angelico suavissimum Nomen Iesu audire dignæ habitæ fuerunt.

Benedictum sit Collum tuum, quod Iesus sæpenumero, teneris brachijs suis strinxit, & dulciter amplexatus est.

Benedicta sint ubera tua, quæ Iesum lactare & ab illius divinis labijs, contingi meruerunt,

Benedictum sit purissimum gremium tuum, in quo Iesus adhuc puer sæpè suavitèr requievit.

Benedicta sint brachia tua, quæ Iesum gestârunt, & amplexata sunt.

Benedicti sint pedes tui, qui amore Iesu magna sæpè itinera confecerunt.

Benedictus sit floridissimus & castissimus Venter tuus, qui Iesum, summi, sempiterniq; Dei Filium portare meruit.

☞ Benedicta sint sacratissima viscera tua, quæ novem mensibus Iesum gestârunt, atq; illius præsentiâ fruita sunt.

Petitio

Petitio ad B.V. Mariam, dari sibi Filium ejus sub diuersis formis.

DUlcissima & suavissima Mater Iesu, da mihi Iesum Filium tuum in ea forma, quâ eum in stabulo peperisti, quâ eum pannis involvisti, & super fænum in præsepi, ante bovem & asinum posuisti.

Dulcissima & suavissima Mater Iesu, da mihi Iesum Filium tuum in ea forma, quâ illum in brachia tua, quando die octavo Circumcisus fuit, recepisti.

Dulcissima & suavissima Mater Iesu, da mihi Iesum Filium tuum in ea forma, quâ illum in Ægyptum tulisti.

Dulcissima & suavissima Mater Iesu, da mihi Iesum Filium tuum in ea forma, quâ illum perditum post triduanam requisitionem invenisti.

Dulcissima & suavissima Mater Iesu, da mihi Iesum Filium tuum in ea specie, quâ illum post mortem de Cruce solutum, toto corpore laceratum, sanguine perfusum, plagisq; & vulneribus plenũ, inter brachia tenuisti.

Dulcissima & suavissima Mater Iesu, da mihi Iesum Filium tuum, in ea forma, quâ eum in sepulchrum intulisti. Et obsecro te, dulcissima Virgo, ut eum sepelias in anima mea, & in sepulchro cordis mei, quamvis sordido & immundo, eum reponas.

Ad B. V. MARIAM,

Efficacissima petendi donum aliquod ab eâ.

O Beatissima Virgo Maria Mater Dei nostri Iesu Christi, quomodo faciliùs & efficaciùs à nobis permoveri & cogi potes, ut pro nobis intercedas, & ea, quæ postulamus impetres, quàm si tibi dilectum Filium tuum, Cruci affixum exhibeamus? Sancta illius vulnera ostendamus; dolores & cruciatus enumeremus? tormenta singula proponamus? Coronam, quâ divinum Caput ejus cinctum & coronatum? flagella, quibus innocentissimum Corpus ejus concisum & laceratum? Clavos, quibus manus & pedes ejus trasverberati? Velum, quo facies ejus obvelata? Fel, quo in summa siti potatus? & lanceam deniq; quâ post mortem ejus coram te sacrum pectus ejus transfossum fuit. O dul-

O dulcissima Virgo MARIA, quis est, qui donum aliquod, quantumvis eximium & præclarum etiamsi Cæleste regnũ fuerit, à te impetrare contendat, quin hoc non citiùs assequatur, si te obsecret, & obtestetur, per alapas, per sputa, per blasphemias, probra, contumelias, injurias & illusiones; quæ Filius tuus nostrorum scelerum expiandorum causâ toleravit.

Peto itaque à te, ô dulcis MARIA, per pretiosum illum Sanguinem, quem Filius tuus in ligno Crucis, amore nostri profudit.

Per Sanguinem illum sanctissimum, quem, speciosam faciem ejus cruentare, ac per oculos defluere conspexisti: neq; enim sic mihi petenti quicquam negare potes. Responde mihi, Mater DEI, te namque obtestor, & adjuro, per Sanguinem Filij tui, ut mihi hoc donum N. obtinere apud dilectissimum Filium tuum digneris; nec à clamoribus & obtestationibus cessabo, neq; hinc recedam, donec me exaudieris, & hoc N. mihi à Filio tuo impetraveris.

ORA-

ORATIO

In qua petit Protectionem in articulo mortis

DUlcissima & piissima, Mater misericordiæ, ego indignus sanctæ Matris Ecclesiæ filius, ad te, ô Sancta MARIA, Mater DEI, & Sanctorum omnium Regina, confugio. Ego, inquam, negligentissimus, frigidissimus, & quadam teporis glacie constrictus, ad te MARIAM divino amore ardentem recurro. Recordare quod propter nos peccatores DEI Filius te in Matrem suam elegerit: Obsecro te pro omnibus hominibus generaliter, & pro singulis specialiter; nec non pro me omnium miserrimo & nefandissimo peccatore, tibi specialiùs supplico, tequè obtestor per amorem, quo te DEUS dilexit, & per beneficia quæ tibi præstitit: ut nobis unam guttam lactis tui, & unam guttam Sanguinis IESU Filij tui largiaris, ut earum virtute, ab omnibus sordibus & immunditijs nostris emundemur, atq; ardenti amore erga DEUM, & te succendamur.

Monstra, ô carissima Mater, Filio tuo ubera

ubera & lac, quibus eum nutrivisti: ostẽde illi brachia, quibus eum complexa fuisti: exhibe illi uterum, quo illum novem mensibus gestâsti.

Enumera illi, & in memoriam revoca, labores & fatigationes, quas pro eo sustinuisti: sic namque illum, suâ naturâ ad clementiam satis propensum, facilè commovebis, ut nostri misereatur.

Tu verò ipsa, ô dulcissima Virgo MARIA, noli nos in hora mortis derelinquere, quandoquidem non ignoras, quantas adversarij nostri in extremo mortis articulo, miseris animabus insidias tendant. Scis optimè, ô dulcis MARIA, quàm horrendus tunc sit Dæmonum aspectus, quãtaque eorum ferocia & truculentia, cùm anima de corpore est exitura.

Quare, ô Mater DEI, succurre tunc miseris, tunc auxilium impende, quandoquidem ab illo momento tota nostra dependet felicitas. Ideoque in re tanti ponderis & momenti, totis visceribus cordis mei, te rogo, & dico,

MARIA Mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et horâ mortis suscipe. R PSAL.

PSALMI
Ad Literas Nominis B. Virginis MARIÆ.

M.

Ave Maria, gratiâ &c.

MAgnificat anima mea Dominum.
Et exultavit Spiritus meus, in Deo Salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est, & Sanctum nomen ejus

Et misericordia eius à progenie in progeniem, timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: & divites dimisit inanes.

Suscepit Isräel puerum suum: recordatus misericordiæ suæ

Sicut locutus est ad Patres nostros: Abraham, & semini ejus in sæcula.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, &c.

A.

Ave Maria, gratiâ &c.

AD Dominum cùm tribularer clamavi: & exaudivit me.

Domine libera animam meam, à labijs iniquis: & à lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatorijs.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea.

Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

R.

Ave Maria, gratiâ &c.

REtribue servo tuo vivifica me: & custodiam sermones tuos.

Revela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.

Incola ego sum in terra: non abscondas à me mandata tua.

Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas: in omni tempore.

Increpasti superbos: maledicti, qui declinant à mandatis tuis.

Aufer à me opprobrium & contemptum: quia testimonia tua exquisivi.

Etenim sederunt Principes, & adversum me loquebantur: servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.

Nam & testimonia tua meditatio mea est: & consilium meum justificationes tuæ.

Gloria Patri, & Filio, &c.

I.

Ave Maria, gratiâ &c.

IN convertendo Dominus captivitatem Sion: facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum: & lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes. Con-

Converte Domine captivitatem nostram: sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lachrymis: in exultatione metent.

Euntes ibant & flebant: mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione: portantes manipulos suos.

Gloria Patri, & Filio, &c.

A.

Ave Maria, gratiâ &c.

AD te levavi oculos meos, qui habitas in Cælis.

Ecce sicut oculi servorum: in manibus Dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum DEUM nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri Domina, miserere nostri: quia multùm repleti sumus despectione.

Quia multùm repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus, & despectio superbis.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, &c.

Monſtra te eſſe Matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit eſſe tuus.

Religioſus quidam de nomine Ioſcio, in uſu habuit, quotidie ſupra poſitos recitare Pſalmos, in honorem SS. Nominis MARIÆ. Poſt cujus mortem, quinq; fragrantiſſimæ, una de ore, duæ de oculis, duæ de auribus excrevêre Roſæ. Indicans acceptiſſimam eſſe B. V. Mariæ hanc recitationem Pſalmorum.

ANTIPHONA
De Beata Virgine Maria.

SAncta MARIA ſuccurre miſeris, juva pusillanimes, refove flebiles: ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo ſexu: ſentiant omnes tuum juvamen, quicunq; celebrant tuam ſanctam commemorationem.

℣. *Ora pro nobis Sancta Dei genitrix.*
℟. *Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.*

OREMUS.

COncede nos famulos, quæſumus Domine DEUS, perpetuâ mentis & corporis ſanitate gaudere: & gloriosâ Bea-

tæ Mariæ ſemper Virginis intercesſione, à præſenti liberari triſtitia, & æternâ perfrui lætitiâ. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Una Oratio Dominica vivaciter dicta, præſtat toti Roſario diſtractè dicto.

HYMNVS

In gratiarum Actionem Beatæ Virgini MARIÆ.

TE Matrem DEI laudamus, Te MARIAM Virginem confitemur.

Te æterni Patris Filiam, omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli: Tibi Cæli, & Univerſæ Poteſtates.

Tibi Cherubim & Seraphim, inceſſabili voce proclamant.

Sancta MARIA, Sancta DEI Genitrix, Sancta Virgo Virginum: tecum eſt DEUS Sabaoth.

Pleni ſunt Cæli & terra, Majeſtatis gloriæ Filij Tui.

Te glorioſus Apoſtolorum chorus.

Te Prophetarum laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per Orbem terrarum, Sancta confitetur Ecclesia.

Matrem Filij Dei immensæ Majestatis.

Venerandam, quæ concepisti verum, & unicum Dei Filium.

Sancto obumbrata Paracleto Spiritu.

Tu Parens Regis gloriæ Christi.

Tu Mater ejus, qui Patris sempiternus est Filius.

Tu ad liberandum hominem, peperisti Dominum, qui non horruit Virginis uterum.

Ex Te Virgine natus, qui devicto mortis aculeo, aperuit credentibus regna Cælorum.

Tu ad dexteram Filij Tui sedes, in gloria Patris.

Filius Tuus est Christus, qui Judex creditur esse venturus.

Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni, quos idem Filius Tuus pretioso Sanguine redemit.

Æterna, fac cum Sanctis Dei tuis precibus, nos in gloria numerari.

Salvum faciat, oro, populum suum Iesus, & benedicat Hæreditati suæ.

Et regat nos Salvator mundi, & extollat usq; in æternum. Per

Per singulos dies benedicimus Te.

Et laudamus Nomen Tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Dignare, dulcis MARIA, die isto, sine peccato nos gratiâ DEI custodire.

Miserere nostri pia, ora pro nobis Virgo MARIA.

Fiat per Te misericordia DEI super nos: quemadmodum speravimus in te.

In te Domina speravi, ora pro me, ut non confundar in æternum.

ORATIONES EIACULATORIÆ,

Ad Beatam Virginem Mariam.

MAter DEI, memento mei. *S. Fran. Xaverius.*

O MARIA, sis mihi propitia. *B. Stan. Kost.*

O IESU, ô MARIA, saluto vos millies, & ex toto cordis mei affectu ad vos suspiro.

IESUS, MARIA, amo vos super omnia.

IESUS, MARIA, IOSEPH, dulcissimi amores mei: Patiar ego, moriar ego amore Vestri. Totus sim Vester; nullus meus præter Vos; Vobis dono cor meũ, & animam meam.

Zacanem pisac wpiątek
Qnot maris Sunt gutte

Q Q Q1Q

Q Q Q

OFFICIUM
DE
ANGELO CUSTODE.

AD MATVTINVM.

Versus. Angelis suis Deus mandavit de te; ut custodiant te in omnibus vijs tuis.

℣. Domine labia mea aperies.

℞. Et os meum annuntiabit laudem tuã.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℞. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

HYMNUS.

Custodes hominum psallimꝰ Angelos,
Naturæ fragili, quos Pater addidit
Cælestis Comites, insidiantibus
Ne succumberet hostibus.

Antiph. Sancti Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamꝰ in tremendo judicio.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.

℞. Adorabo ad templum sanctum tuũ, & confitebor nomini tuo. ORA-

ORATIO.

DEus, qui ineffabili providentiâ, Sanctos Angelos tuos, ad nostram custodiam donare dignaris, largire supplicibus tuis, & eorum semper protectione defendi, & æternâ societate gaudere. Per Dominum nostrum, &c.

AD PRIMAM.

Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis.

Deus in adjutorium meum intende.

Domine ad adjuvandum, &c.

Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

NAm quod corruerit proditor Angelus,
Concessis meritò pulsus honoribus,
Ardens invidiâ pellere nititur,
Quos Cælo Deus advocat.

Antiph. Sancti Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ne pereamus in tremendo judicio.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

ORA-

ORATIO.

Deus, qui ineffabili providentiâ Sanctos Angelos tuos, &c.

AD TERTIAM.

Angelis ſuis Deus mandavit de te, &c.
Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adiuvandum, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

Hic Cuſtos igitur pervigil advola,
Avertens Patria de tibi credita,
Tam morbos animi, quàm requieſcere
Quidquid non ſinit Incolas.

Antiph. Sancti Angeli Cuſtodes noſtri, defendite nos in prælio, &c.

℣. In conſpectu Angelorum, &c.
℟. Adorabo ad templum, &c.

ORATIO.

Deus, qui ineffabili providentiâ Sanctos Angelos tuos, &c.

AD SEXTAM.

Angelis ſuis Deus mandavit de te, &c.
Deus in adjutorium meum intende.
Domine ad adjuvandum, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

HYMNUS.

CHriste, Sanctorum Deus Angelorum,
Rector humani generis & Auctor,
Nobis æternum tribue benignus
Scandere Cælum.

Antiph. Sancti Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, &c.

℣. In conspectu Angelorum, &c.

℟. Adorabo ad templum, &c.

ORATIO.

Deus, qui ineffabili providentiâ Sanctos Angelos tuos, &c.

AD NONAM.

Angelis suis Deus mandavit de te, &c.
Deus in adjutorium meum intende.
Domine ad adjuvandum, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

ANgelum pacis Michaël ad istam
Cælitùs mitti rogitamus Aulam,
Nobis ut crebrò veniente crescant
Prospera cuncta.

Antiph. Sancti Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, &c.

℣. In conspectu Angelorum, &c.

℟. Adorabo ad templum, &c.

ORATIO.

Deus, qui ineffabili providentiâ Sanctos Angelos tuos, &c.

AD VESPERAS.

Angelis suis Deus mandavit de te, &c.
Deus in adjutorium meum intende.
Domine ad adjuvandum, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

ANgelus fortis Gabriel, ut hostem
Pellat antiquum, volitet ab alto,
Sæpiùs templum veniens ad istud
Visere nostrum.

Antiph. Sancti Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, &c.

℣. In conspectu Angelorum, &.
℟. Adorabo ad templum, &c.

ORATIO.

Deus, qui ineffabili providentiâ Sanctos Angelos tuos, &c.

AD COMPLETORIUM.

Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis.
Converte nos Deus Salutaris noster.
Et averte iram tuam à nobis.

Deus

Deus in adjutorium meum intende.
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

HYMNUS.

ANgelum nobis Medicum salutis
Mitte de Cælis, Raphael, ut omnes
Sanet ægrotos: pariterq; nostros
Dirigat actus.

Antiph. Sancti Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.

℟. Adorabo ad templum Sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

ORATIO.

DEus, qui ineffabili providentiâ Sanctos Angelos tuos, ad nostram custodiam mittere dignaris, largire supplicibus tuis, & eorum semper protectione defendi, & æternâ societate gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tum. &c.

Domi

Dominus vobiſcum;
Et cum Spiritu tuo.
Benedicamus Domino.
Deo gratias.
Et Fidelium animæ per miſericordiam Dei, requieſcant in pace. Amen.

HAs Horas Canonicas cum devotione
Dixi, Cuſtos Angele, tui ratione,
Precor, me cuſtodias mortis in agone
Et præſens me deducas Cæli regione.

ANgele Dei, qui cuſtos es mei: me tibi commiſſum pietate supernâ: hodie illumina, cuſtodi, & guberna, Amen.

Augustissimæ Cælorum
Reginæ Mariæ
Virgini

Ut ua criminur agno Servata
pala tota mal mo cuis Stetit

Magnifico ac Generoso
Domino Dno
ac Benefactori meo Obser
Reverendissimo patrat
nemenc

K 5 - 15 C 6 K 1½ L
K 6 20 C 7 m 4 m
K 7 C 6 ½ 2

ORATIONES MORIBVNDORVM, Et pro Agonizantibus.

ORATIO MORIBVNDI *Ante agonem ipsum.*

DOmine, memento mei, quia venisti jam in regnum tuum. Et quia jam es in regno tuo, me in hoc exilio gementem aſpice: & hinc abeuntem, in regnum tuum admitte. Hoc ego Te rogo, Christe IESU, per flagella, per ſputa, per Crucem, per tormenta omnia, & per mortem tuam. *Drexel. in Prodr. Æter.*

Tenens manibus Crucifixum.

CReator generis humani, & Redemptor IESU Christe, ſuſcipe me inter amoroſiſſima brachia Tua, quæ pro me extenſa cerno, & amplector. Suſcipe inter deſiderabiles amplexus tuos, & trahe ad te animam meam. Suſcipe me, Domine IESU, in miſericordia tua. Suſcipe in pace ſpiritum meum. Amen.

ASPIRATIONES MORIBUNDI.

UNam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, & visitem templum ejus.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.

Quàm bonus Israël Deus, his, qui recto sunt corde.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum; concupiscit, & deficit anima mea, in atria Domini.

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.

Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo: me exspectant justi, donec retribuas mihi.

Cupio dissolvi, & esse cum Christo.

Benedictus Deus in æternùm.

Miserere mei Deus, secundum magnā misericordiam tuam: etsi, Domine, minor sum cunctis miserationibus tuis.

O Do-

O Dominus meus & Deus meus: ego me tibi offero in omne beneplacitum tuum; fiat voluntas tua.

Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor tibi, ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace.

Memento quæſo, Domine, quòd ſicut lutum feceris me: & non intres in judicium cum ſervo tuo: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Memento mei, qui ſolus ſine peccato es, Chriſte mundi Redemptor.

Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum, ne auferas à me.

ORATIO
Pro Agonizante.

DUlciſſime Redemptor Domine IESU Chriſte, per illas lachrymabiles voces, quas in Cruce moriturus edidiſti; & paſſionis doloribus conſumptus dixiſti. DEVS MEVS, DEVS MEVS; VT QVID ME DERELIQVISTI: ne quæſo longè facias, à

famulo tuo fratre nostro N. tuæ misera-
tionis auxilium. Nam ille in hac hora
& momento extremæ afflictionis, præ
defectione animæ, & cõsumptione Spiri-
tus te invocare non valet. Per trium-
phum sanctæ Crucis, & per mortis, passi-
onisq; tuæ infinitum meritum, cogita
Domine de eo cogitationes pacis, & nõ
afflictionis, sed misericordiæ & consola-
tionis. Libera eum de omnibus angu-
stijs, tuis Sanctissimis manibus, quas pro
eo, nobisq; omnibus in Cruce clavis affi-
gi permisisti. Iesu bone, & amantissime
Pater, erue eum à tormentis ei debitis,
& perduc eum in vitam æternam.

ORATIONES TRES

Pro Agonizantibus.

*Narrat Bartholomæus ab Angelis de Præpa-
ratione ad mortem, Summum Pontificem quẽ-
dam moriturum petijsse à Sacellano suo, ut
dum agonizantem eum videret, infrà tres po-
sitas Orationes, pro eo diceret: quod & fecit.
Cui post obitum apparuit defunctus, dicens:
Quòd in virtute istarum Orationum, peccata
ipsius dimissa sunt à Christo, & cum eo in Cæ-
lum ingressus fuerit.* ORA

ORATIO I.

DOmine IESU Christe deprecor te, per tuam agoniam, atq; devotissimam Orationem, quâ in Horto Oliveti orâsti: quando factus est sudor tuus, sicut guttæ sanguinis in terram; ut eundem sudorem sanguineum, quem præ timore mortis, tam copiosè fudisti; Cælesti Patri tuo offerre, & ostendere digneris, contra multitudinem peccatorum hujus infirmi. Et velis eum in hora obitus sui, liberare ab omnibus angustijs & pœnis, quas pro peccatis suis, se meruisse timet. *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, & Ave Maria.*

ORATIO II.

DOmine IESU Christe, qui pro salute mundi, in dura Cruce mori dignatus es: deprecor te, ut amaritudinem tuam, quam in eadem sustinuisti: præsertim, quando Sacratissima Anima tua, eggrediebatur de Corpore tuo: Cælesti Patri tuo offerre & ostendere digneris, pro peccatis animæ istius infirmi; eumq; in hora mortis suæ, liberare ab omnibus pœ-

nis, & cruciatibus, quos pro peccatis suis, se meruisse timet. Amen. *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, & Ave Maria.*

ORATIO III.

DOmine IESU Christe, qui per Prophetam tuum dixisti. IN CHARITATE TUA DILEXI TE: IDEO ATTRAXI TE, MISERANS TUI. Rogo Te per amorem illum, qui te de Cælo ad terram, ad patiendum omnē miseriam traxit: Cælesti Patri tuo offerre illum, & ostendere digneris, pro anima hujus infirmi, eumq; liberare ab omnibus pænis, & cruciatibus, quos pro peccatis suis, se meruisse timet. Adsis ei, ô pie IESU, in hac hora mortis illius: aperi ei januam vitæ, & perduc animam ejus, in paradisum exultationis, ubi te laudet per infinita sæcula, Amen. *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, & Ave Maria.*

Has Orationes, quilibet adhuc in vita sua potest dicere, pro felici morte sua, & pro consequenda venia peccatorum, ac salute æterna: mutatis mutandis quibusdam verbis.

PRE-

PRECES PRO ANIMABUS

in Purgatorio existentibus eliberandis.

Antequàm ad ipsas perveniamus preces, & Orationes pro Animabus Purgatorij offerendas; quædam ad meliorem Orantium informationem, sunt præmittenda. Videlicet.

DE SVFFRAGIIS, Animabus Purgatorij applicandis.

1. Ecclesia militans, poteſt ſuccurrere animabus Fidelium defunctorum, in Pœnis purgatorijs exiſtentibus, per modum Suffragij: id eſt, per modum auxilij & adjutorij Eccleſiaſtici, ex Theſauro Ecclesiæ illis applicato: Non autem per modum Abſolutionis, ſeu Iudicij.

2. Suffragium eſt. Applicatio ſatisfactionis ex Theſauro Eccleſiæ, pro defunctis applicando, ut à Pœnis ſalventur.

3. Indulgentia applicata, uni animæ defuncti, per modum Suffragij, non ſem-

per habet infallibilem effectum. Quia liberum est DEO, illam acceptare, vel non. Ideo sæpè sæpius sunt applicandæ, ut illis repetitis Suffragijs, à pænis talis anima eruatur.

4. Qui offert Suffragium pro aliquo, tàm vivo, quàm defuncto, opus est, ut habeat Intentionem, sive actualem, sive virtualem, offerendi pro eo, cui suffragari intendit. Quia non dirigens Intentionem suam in alterum, retinet sibi suffragium.

5. In Suffragio Sacrificij Missæ, & Indulgentiarum: ille, qui celebrat, vel facit opus præscriptum pro indulgentia, quæ applicatur Defunctis; si sit in peccato mortali, prodest animabus, non ex Opere Operantis, sed ex Opere operato per modum Suffragij.

6. Quando Suffragium offertur pro Anima defuncti: & illa anima non est in purgatorio, sed est in Cælo, vel in inferno: tunc illa satisfactio, in utilitatem ipsius offerentis, vel aliarum Animarum in Purgatorio existentium, secundum intentionem ipsius offerentis cedit.

7. Animæ Purgatorij fiunt certiores, per

per Angelos Custodes de suffragijs pro se oblatis.

8. Ut aliquis liberet Animam de Purgatorio, opus est ut hæc quatuor observet.

1. *Vt sit in statu gratiæ.*

2. *Vt sit in Confraternitatem Rosarij, vel S. Scapularis inscriptus.*

3. *Vt visitet Ecclesias Rosarij, aut S. Scapularis.*

4. *Vt oret ad minimum quinque Pater noster, & Ave Maria, pro Vniverso nomine Christiano.*

9. Ut aliquis Indulgentias Animæ Purgatorij efficaciùs applicare possit, hæc tria sunt observanda.

1. *Vt Summus Pontifex apponat in Brevi, quòd sit hæc Indulgentia applicabilis Animæ in Purgatorio existenti.*

2. *Vt omnes Conditiones in Brevi positæ adimpleantur.*

3. *Vt certa Anima designetur, quam è purgatorio liberare optamus, & non generatim eam applicemus. Quia id, quod speciatim particulari animæ non assignatur, ad communem Thesaurum Ecclesiæ spectat.*

10. *Unde sequitur.* Applicationem, Satisfactionum nostrarum debere fieri, ut non uni animæ in purgatorio existenti, sed multis simul, & determinatis Animabus, speciatim unam alteri substituendo, satisfactiones nostras applicemus, ut si prima anima à nobis specificata, nō indigeat mea satisfactione, aut sit incapax; satisfactio mea in illam, vel illam derivetur: si verò neq; istæ indigeant? alijs atque alijs facienda erit applicatio. Quodsi neq; istæ indigeant, vel non sint capaces; substituatur anima, quæ maximè ope indigeat, aut proxima sit suæ liberationi: aut quæ Deo magis placeat. Et talis satisfactio, bene applicata erit.

11. *Sacerdotes, Sacrum Missæ Sacrificium celebrantes, in Memento Defunctorum facere debent memoriam.*

1. Animarum Parentum, Fratrum, Sororum, Consanguineorum, Affinium, & Amicorum suorum.

2do. Animarum, quæ ex occasione ejus torquentur in Purgatorio.

3tio. Animarum omnium Benefactorum suorum, in Spiritualibus & temporalibus.

4to. Animarum Omnium Sacerdotū, & Miniſtrorum Eccleſiæ Dei Catholicæ.

5to. Animarum ſibi commiſſarum in genere, & ſpecie.

6to. Animarum, quarum non eſt ſpecialis memoria.

7mo. Animarum, improvisâ morte corporibus exutarum, bello, peſte, & fame ſublatorum; & qui caſu in itinere, vel in mari perierunt.

8vo. Animarum in Purgatorio exiſtētium, pro quibus Deus vult, & ſcit te debere orare.

DIRECTIO INTENTIONIS;
seu
Applicatio Indulgentiarum, Satisfactionum, & bonorum Operum, Animabus in Purgatorio detentis.
Ante Orationes pro Defunctis instituenda.

OMnipotens sempiterne DEus, te per IESUM Christum Filium tuum Dominum & Redemptorem nostrum oro, & obsecro, ut indulgere digneris, omnes culpas, errores, defectus, & imperfectiones meas, & quæcunq; alia, quæ per vitæ meæ cursum, cogitatione, verbo, & opere commisi: & in quibus sanctam & divinam voluntatem tuam facere & exequi neglexi: & quæcunq; contra proximum meum perpetravi; pro quibus omnibus & singulis doleo, eaq; detestor, ob offensum te Deum infinitum bonum meum.

Et

Et quia hodierna die, pro Animabus Fidelium defunctorum, in Purgatorio existentibus sum oraturus, Sanctissimæq; Majestati tuæ, pro eliberādis illis supplicaturus; proinde offero tibi imprimis misericordissime Deus, in unione illius arctissimi amoris, quo omnes Electi tui, sua tibi bona opera consecrārunt, omnes totius vitæ meæ cogitationes, verba, & opera; omnia negotia, curas, labores, adversitates meas, offero, inquam, omnes devotiones, Indulgentias, & satisfactiones meas, quas per gratiam tuam præstiti, vel præstare potero, bonis operibus infudando: in unione meritorum Christi Domini dilectissimi Filij tui, Beatæ Virginis Mariæ, & Omnium Sanctorum tuorum.

Atq; imprimis, primariò, & principaliter hæc omnia offero & applico animæ Famuli tui N. (vel famulæ tuæ N.) humillimè te Deum meum deprecans, ut eam quantocyus de pænis purgatorij eliberare, & in libertatem asserere digneris.

Et si fortè contingat eam non indigere, vel non esse capacem: opto & vo-

lo has

lo has devotiones, Indulgentias, & satisfactiones meas animæ N. applicari. Quod si neq; ista indigeat, vel non sit capax, applico animæ N. vel N.

In reliquo, defero tuæ Sanctissimæ Voluntati, clementissime Deus, aliam maximè indigentem, aut quæ tibi magis placeat, animam hâc applicatione perfrui: offero illam divinissimæ Majestati tuæ, ut de illa disponas, prout ad majorem tuam gloriam profutura sit; aut quam Beatissima Virgo Maria præ cæteris elegerit.

Deprecor itaq; te, dulcissime Deus, ut ejus ardorem, optato rore misericordiæ tuæ, extinguere, & citò purgatam in conspectum tuum admittere, mihiq; benedictionem, & felicem mortis horam largiri digneris.

ORATIO
AD DEUM PATREM.

DOmine Sancte Pater, & sempiterne Devs, Deus bonitatis & pietatis invictæ, te supplices exoramus, pro animabus Fidelium defunctorum, ut respicias in faciem Christi tui, ac in pænas, passiones, & amaritudines Domini Iesu: easq;

omnes suscipere, in unione suavissimi cordis sui, & illius amoris, quo ipse seipsum in Ara Crucis pro nobis obtulit; atq; ob amorem ejus, quo tibi complacuit; illiusq; passionis, quæ tibi summè grata extitit, eas liberare digneris, ab omnibus pœnis, quas pro peccatis suis sustinent: & tecum facias in Bonis cælestibus congaudere.

ORATIO ad IESVM.

DOmine Iesu Christe, qui per Os tui Prophetæ dixisti, IN CHARITATE PERPETUA DILEXI TE: IDEO ATTRAXI TE MISERANS TUI: obsecramus te per amorem, qui te dignissimum, & delicatissimum Paternæ charitatis Filium, pro nobis factum hominē vulnerari & mori pro salute hominū fecit: ut eandem charitatem tuam, quæ te de Cælo, ad tolerandas omniū passionum tuarum amaritudines traxit; offerre & ostendere digneris DEO Patri omnipotenti, pro animabus tuorū fidelium, in veram omnium pœnarum earum liberationem, & eâdem passione tuâ, cujus meritò ad locum salvationis pervenerunt, eas etiam ad te plenè perfruendum perducas.

AD B. V. MARIAM.

O Intemerata, & in æternum benedicta Virgo MARIA, totius anguſtiæ & miſeriæ noſtræ adjutrix: famulis tuis fidelibus defunctis, qui Filij tui Sanguine redempti fuerunt, miſerere quæſumus, & ſuccurre dulcitèr & amantèr. Pijſſima Domina, monſtra te eſſe Matrem; & quæ es lætantium lætitia, & ſperantium fiducia, afflictorum ſolamen, eſto & pænas ſuſtinentium conſolatrix.

Offer, pijſſima Domina, Deo noſtro amorem tuum, & fructum bonorum Operum tuorum, in plenam ſuppletionem omnium negligentiarum, & in leuamen pænarum ſuarum: quatenùs meritis & interceſſione tuâ, ſicut de poteſtate Dæmonum ſunt erutæ, ſic à pænis etiam liberatæ, cum bonis Spiritibus, Domino Deo, in Cælorum regno beatiſſimo, ſpirituales perſolvant laudes.

AD ANGELOS.

GLorioſiſſime S. Michaël, cui animarum ſuſcipiendarum cura eſt demandata: Beatiſſimi Spiritus, qui fidelium

defun-

defunctorum animas custoditis, quas Dominus vigilantiæ vestræ commisit, & quibus vigilantissimè invigilatis: easdem nunc invisere, ac vestrâ præsentiâ, & visitatione, quæsumus, consolari dignemini: ut inter pænas constitutæ lætificentur, & meritis ac intercessione vestrâ liberentur: quatenus quorum consilijs obtemperârunt, etiam perpetuò ad gloriam Dei consortio gaudere possint, in sæcula sæculorum, Amen.

AD SANCTOS.

O Gloriosissimi Sancti, quorum vel nominibus decorati, vel devotione fuerunt cultores fideles defuncti: quæsumus vos in gloria jam constitutos, eorum ne obliviscamini: sed quibus in vita vestrum præsidium præstitistis, etiam nunc eo nō destituatis: sed sicut ipsi, dum in corpore manserunt, Vestra Nomina & devotionem tenuerunt, ita etiam nunc, ipsi vos sibi sentiant propitios; ut quorum suffragijs nixi fuerunt, nunc jam eorundem intercessione ac societate glorientur, & gaudeant. Amen.

Oblatio Meritorum.

ET nunc, Domine Deus ſuperamantiſſime, licèt temeritatis ſit, ut mortalis mortalem, homo hominem, cinis cinerem, tibi Domino Deo noſtro, audeat commendare; verùm quia vis nos invicem compati, & onera portare; piæ recordationis affectu, memoriam fidelium defunctorum facientes, debitumq; humanæ charitatis complectentes; te Deum cui omnia vivunt fidelitèr deprecamur, ut eorum, quorum una nobiſcum fuit fides, una inter nos charitas, una Eccleſia, miſereri digneris.

Indeq; Pater pijſſime, tuam quæſumus miſericordiam, reſpice Domine orationes ſervorum tuorum: & ſi quid in operibus, & orationibus noſtris, tibi eſt acceptum? hoc quidquid fuerit, in unitate Cordis Chriſti offerimus, in reconciliationem tuæ pietatis erga animas defunctorum: ut quos de hujus mundi voragine cænoſa eduxiſti, indulgentiæ tuæ piam ſentiant bonitatem: & ſi quæ ſuperſunt dignæ cruciatibus culpæ, tu eis Domine, gratiâ mitiſſimæ lenitatis tuæ

indul-

indulge. Per Christum Dominum nostrum.

Ad ipsas Animas.

ANimæ sanctissimæ, Cætus Spirituum fidelium defunctorum: ecce affectu charitatis rogamus & obsecramus Deum nostrum, ut vos ad patriam recipiendo, finem dignetur inferre angustijs vestris, quibus ex corde compatimur: vos obnixe rogantes, ut cùm felix ille dies advenerit, quo divini muneris largitate, ad Cælestia gaudia intrabitis, nostri memores sitis: quatenus dum vivimus, in miserijs hujus sæculi constituti, vestram sentiamus opem; & dum dies noster ultimus illuxerit, vestro præsidio non destituamur. Dum verò etiam nos (sic indulgente Dei bonitate) ad locum purgationis fuerimus deputati, etiam Orationibus vestris adjuvemur: ut sic vobiscum DEUM per æterna sæcula laudare (ad quod conditi sumus) mereamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Si dicendæ sunt Orationes pro uno defuncto, dicantur in numero singulari. sc. offero tibi pro anima hujus defuncti

ORATIO

Passionem Christo insinuans, ut ex Purgatorio Animas defunctorum eripiat.

PRopter dulcedinem Cordis tui, rogo te, clementissime Domine, Iesu misere Animabus in Purgatorio detentis. Admoneo te, misericordissime Iesu, universorum beneficiorum tuorum, cunctarumq; gratiarum & misericordiarum tuarum, quas nobis fecisti. Admoneo te pænarum, plagarum, passionum, vulnerum, & dolorum, quos sustinuisti. Admoneo te omnium guttarum sanguinis, quas pro hominibus fudisti. Admoneo te tandem amarissimæ mortis, quam pro nobis tolerasti, & per eadem omnia & singula obsecro te, effunde in Purgatorium Animabus defunctorum, eandem omnium laborum & passionis virtutem, efficaciam, fructum, & gratiam: ut aut singulæ releventur animæ, aliquo modo à pænis, aut omnino liberentur. Dulci Iesu memor esto, quòd filij tui sunt, Amici tui sunt, per te redempti sunt, Electi

tui ſunt; Sufficiat juſtitiæ tuæ, quòd ibi graviter per tempus ſunt punitæ: reliqua peccata dimittat miſericordia tua, propter teipſum. Domine ego eas tibi reſigno, & commendo in manus tuas.

Ioan. Lanſpergij.

Salutatio Chriſti Fidelium Defunctorum.

AVete omnes Chriſti Fideles, det vobis requiem ille, qui eſt vera requies IEsus Chriſtus Filius DEI Vivi, qui natus eſt de Immaculata Virgine MARIA, pro noſtra, omniumq; ſalute, & vos redemit pretioſo Sanguine ſuo. Benedicat vos, & à pænis liberet, faciatq; vos reſurgere in die Reſurrectionis & Iudicij, & Angelis ſuis aſſociare, ac in Cælis ſecum ſine fine gaudere. Amen.

Tranſeundo per Cemeterium dici poteſt hæc Oratiuncula,

MEDITATIONES Dolorum Domini IESU CHRISTI.

Pro Animabus de Purgatorio eliberandis,
Singulis diebus, mente, vel ore dicendæ.

DIE DOMINICO,

Oblatio Dolorum, quos Christus in Horto sustinuit.

1. DUlcissime Domine IESU, offero tibi, pro qualibet purgatorij anima, ignominiosissimam mortem, & sacratissimum Sanguinem, quem pro nostra salute & redemptione effudisti.

2. Dulcissime Domine IESU, offero tibi pro animabus purgatorij, angores & mærores, quibus afflictum Cor tuum in horto angustiabatur.

3. Dulcissime Domine IESU, offero tibi pro Animabus purgatorij, infinitam illam tristitiam, quæ in te, ex mortis horrore oriebatur, prout mæstissimis Discipulis dixisti. Tristis est anima mea usq; ad mortem.

4. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, humillimũ & devotionis plenum actum illum, quando Patrem tuum oraturus, genua flexisti, & pronam usq; ad terram faciem declinasti.

5. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro animabus Purgatorij, Orationem illam, quâ lachrymis & clamoribus inauditis Patrem orasti, ut Calicem passionis à te transferret; & totum te divinæ ejus volũtati resignans dixisti. Non mea, sed tua fiat voluntas.

6. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro animabus purgatorij, ardentissimã charitatem tuam, quâ charissimos Discipulos tuos invisisti, & ad vigilantiam eos, ne in tentationes incidant hortatus fuisti.

7. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus purgatorij, refocillationem illam, quæ ab Angelo ad confortandum Sanctissimam Humanitatem tuam, tibi allata fuit.

8. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro animabus purgatorij, immensum illum conflictum, qui inter Carnem &

Spiritum accidit, & te ad mortis agonem adegit: verùm Spiritus sensibus prævaluit, adeoq; pro nostra salute mortem libentissimè oppetijsti.

9. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, tuã in Oratione perseverantiam, quamvis doloribus & angustijs plenus in agonia constitutus minimè exauditus fuisti.

10. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, Sacratissimũ & pretiosissimum Sanguinem illum, quẽ præ internis doloribus, tantâ copiâ fudisti, ut undiq; de Sanctissimo Corpore tuo in terram profluxerit.

FERIA SECVNDA.

Oblatio eorum, quæ Dominus perpessus est, à captura sua, & dum ad Annam duceretur.

1. DUlcissime Domine IESU, offero tibi pro Animabus Purgatorij, illam Spiritus tui promptitudinem, quando adhuc sanguineo sudore madidus, ab oratione surgens, hostibus tuis obviam ivisti.

2. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, proditionẽ illam, quam Iudas unus ex Apostolis tuis commi-

commisit, pro triginta argenteis te Iudæis vendens, proditorieq; osculo, eorum te potestati tradens.

3. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, ingentem illam afflictionem & angustiam; cùm magnus Militum numerus te invadens, ab illis captus, & crudelitèr ligatus fuisti.

4. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij; stupendam illam patientiam, quam in perferendis persecutoribus ostendisti; qui te pugnis baculorum, hastarũq; ictibus percusserũt: Capillos sacros è Capite tuo evulserunt, faciemq; tuam fœdissimis sputis & salivis conspurcârunt.

5. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij; actus tuos interiores, nimirum actus amoris Dei, patientiæ, resignationis Patri tuo, quos, tantas inter afflictiones exercuisti.

6. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus purgatorij, acerbissimum illum dolorem, dum tantis in afflictionibus, à charissimis Discipulis tuis, te derelictum vidisti: qui cùm te capi, atq; ligari vidissent, omnes fugâ dilapsi erant.

7. Dul-

7. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro animabus purgatorij, illas injurias, quas tibi Satellites intulerunt: dum te ab Horto ad Annam Pontificem deduxerũt; & festinantius te progredi coëgerunt.

8 Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro animabus purgatorij, atrocem illã injuriam, quâ impij Satellites torrentem Cedron, quâ transeundum erat, te solum, idq; tempore brumali & frigido pervadere fecerunt.

9, Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus purgatorij, id, quod pertulisti, dum humilis & mansuetus, capite inclinato, manibusq; ligatis, coram fastuoso Pontifice stetisti.

10. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus purgatorij, immanem illum colaphum, quem tibi vilissimus quidam servus, manu thecâ ferreâ armatâ, adeo gravissimè impegit, ut sacratissimi dentes tui tantùm non evulsi fuerint.

FERIA TERTIA.

Oblatio eorum, quæ Dominus pertulit de nocte in domo Caiphæ Pontificis.

1. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi

pro

pro Animabus Purgatorij, illam contumeliam, quam accepisti, quando ligatus funibusque constrictus, ad ædes Caiphæ Pontificis ductus fuisti.

2. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus purgatorij, omnes accusationes & falsa testimonia, quæ ab iniquis & sceleratis Iudæis contra te dicta fuerũt; nihil tamen veri in te prolatum, aut comprobatum fuit.

3. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, silentium illud admirabile, quod observâsti tunc, cùm tot falsæ delationes contra te Dominum innocentissimum proferrẽtur: plurimaq; falsa, & à calumnia ipsa ficta crimina imponerentur; tu autem ne quidem os aperire pro tui defensione voluisti, sed omnia summâ patientiâ tolerâsti.

4. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus purgatorij, arrogantem illam adjurationem: dum à superbo illo Pontifice Caipha, num Filius Dei esses? quæsitus fuisti, cui maxima cum humilitate, esse te, respondisti.

5. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus purgatorij, insultationem illam

illam injurijs plenam cùm ad responsum tuum protinùs se in terram prosternere, & te, uti verum Deum adorare debuissent: illi vice versa, blasphemum, & mortis reum, te condemnaverunt.

6. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, rabulum illum furorem, dum post responsum illud perfidi Iudæi te invaserunt, colaphos impegerunt, pugnis & alapis te verberarunt: tu verò non modò patientissimè pertulisti, sed nec signum indignationis dedisti.

7. Dulcissime Domine Deus, offero tibi pro Animabus purgatorij, improperium illud, quando ex invidia faciem tuam gloriosam sputis fœtidissimis conspuerunt & conspurcarunt.

8. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus purgatorij, opprobrium illud, quo te insectati sunt rebelles Iudæi: quando oculos tuos linteo obvelabant, colaphisq; te percutientes, dicebant: Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit.

9. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus purgatorij, trinam Petri

tri negationem, quâ iuravit & peieravit nosse te unquam: sed tu infirmitati ejus compassus, vultu humanissimo eum respexisti; unde errorem suum agnoscens, valdè indoluit, atq; amarissimè flevit.

10. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus pugatorij, reliquas omnes contumelias, & injurias, quas eâ nocte pertulisti, ex quo enim in crudeliũ Satellitum manibus & potestate fuisti, nullum tibi quascunque injurias inferendi finem fecerunt.

FERIA QVARTA.

Oblatio eorum, quæ Dominus sub auroram passus est.

1. DUlcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, trinam, eamq; falsam accusationem tui, coram Iudice Pilato, adversus te factam, à Principibus Iudæorum: quasi nimirum esses seductor populi: tributa Cæsari dari prohiberes: Iudæorumq; Regem te constitueres.

2. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, sanctam tuam humilitatem, quâ te per plateas vin-

ctum

ctum duci, & Regi Herodi exhiberi permisisti, ad cujus interrogata, nihil respõdisti.

3. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij: despectum à Rege tibi illatũ: dum illo candidã licet sed vilem & attritam vestem togæ tuæ superinduit, quo te instar fatui, omnium derisui, exposuit.

4. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, illa convitia & obloquia contra te facta, dũ te per plateas Urbis Hierosolymitanæ ducerent, tu alij pugnis contunderent: alij Caput tuum Sacratissimum verberarent: alijque mille injurijs onerarent, stultum te & insanum reputantes.

5. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij terribiles & inconditos clamores illos, quando Iudæi immanes simul vociferantes, CRUCIFIGE, CRUCIFIGE, te ad infamem Crucis mortem depoposcerunt, & Barabbam nefandissimum latronem vitâ donari voluerũt.

6. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, singulos passus, quos, cum ad locum flagellationis

tuæ

tuæ ducereris, cum tanta animi promptitudine, & amoris magnitudine fecisti, ut ultrò ad tam horribile supplicium progredereris.

7. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, illos dolores, quos sensisti, dum vestibus tuis exuereris, & ad Columnam adeò arctè constringebaris; ut Sanguis sacratissimis brachijs & innoxijs manibus tuis dimanaret.

8. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, duros & inclementes illos flagellorum ictus, tantâ violentiâ, à Carnificibus tibi illatos & inflictos, ut ad primum ictum Sancta Tua Caro dilaceraretur, & Sanguis undequaq; copiosus influxerit.

9. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, ingentem illum dolorem, quem habuit benedicta Mater tua, crudelitèr te flagellari videns.

10. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, vehementissimos illos dolores, quos ex infinitis tibi inflictis vulneribus passus fuisti.

FERIA QVINTA.

Oblatio eorum, quæ sustinuit Dominus, du[m] spineâ Coronâ redimiretur.

1. DUlcissime Domine IESU, offero ti[bi] pro Animabus Purgatorij, gressu[s] illos doloribus plenos, quos fecisti, du[m] ad Pilati Regiam Coronâ spineâ cor[o]nandus, ducereris.

2. Dulcissime Domine Iesu, offero t[i]bi pro Animabus Purgatorij, ingentem i[l]lam afflictionem, dum te Pilati Satellite[s] vestibus tuis, Carni tuæ adhærescentib[us] exuerent, ut iterum dilacerato Corpor[e] tuo, copiosissimus deflueret Sangvis.

3. Dulcissime Domine Iesu, offero ti[bi] pro Animabus Purgatorij illam ignom[i]niam, à Militibus tibi illatam, qui te ill[u]sionis gratiâ, attritâ indutum purpurâ, [&] loco Sceptri, arundine in manu datâ, [&] quasi Regem simulantes, fecerunt & ad[o]raverunt.

4. Dulcissime Domine Iesu, offero t[i]bi pro Animabus Purgatorij, nimiam crudelitatem, dum Capiti tuo, crudeliss[i]mi Carnifices, Coronam è pungentibu[s] spinis contextam imposuerunt, eamq;

rundi

rundinibus & ferratis manibus, summà vi, sacrum tuum pericranium spinarũ acuminibus penetrantibus infixerunt.

5. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, pretiosum Sãguinem tuum, qui, undequaq; de Venerabili Capite tuo diffluebat, tu autem, hos gravissimos dolores tuos, pro mea salute, Patri tuo æterno offerebas.

6. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, ictus & successiones illas ferocissimas, quas supra Coronam spineam impingebant.

7. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, irrisiones & subsannationes illas, quas perfidi Milites, coram te genua flectentes, graves tibi alapas impingebant, dicentes: SALVE REX IUDÆORUM.

8. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, sputa, & fœdissimas excreationes, in Divinissimam faciem tuam, à Militibus projectas, idq; tantâ copiâ, ut tota facies tua, illis defœdata fuerit.

9. Dulcissime Dñe Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, Virginalem pudorem tuum, quo suffundebaris, quando Pi-

latus, te nudum, plagis & vulneribus cō|fectum, populo exhibebat, dicens. Ecce Homo.

10. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, clamorem illum validum, à populo Iudæorum, pro morte tua acceleranda, excitatum, dum clamarent. CRUCIFIGE, CRUCIFIGE.

FERIA SEXTA,

Oblatio eorum, quæ passus est, dum Crucem ad Calvariæ montem portaret, & in ea crucifigeretur.

1. DUlcissime Domine IESU, offero tibi pro Animabus Purgatorij, Cruciatus illos, quos, dum Crucem ad Calvariæ Montem portare coactus fuisti, & præ gravissimo pondere ejus, vulnus in dorso tuo atrox subijsti.

2. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, immensos illos dolores & Cruciatus, quos immisericordes Satellites, in via tibi intulerunt, dum te fustium verberibus, & alijs crudelitatibus afflixerunt.

3. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, quinq; illos

Casus,

Casus, qui tibi sub tanta Crucis sarcina evenerunt, ac tum temporis, nequissimi Milites, verberum ictus ingeminantes, & Capillis raptantes, te funibus protrahebant.

4. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, violentias illas, quando te Cruce prægrandi onustū, funibus arctissimè ligatum, millenis subsannationibꝰ illusum, in medio Latronū eductum, Civitate tuâ ejecerunt.

5. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, infinitum illū dolorem, quem inde sensisti, dum prædilectissimam Matrem tuam, Virginem & Dominam nostram clementissimam, in platea tibi occursantem, uberrimis lachrymarum rivis, ex oculis ejus defluentibus, vidisti.

6. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, languores, & deliquia tua, dum Crucem ulterius portare, & pedibus consistere non valuisti; Simonemq; Cyreneum ad portandā Crucem, adjutorem sibi coactum vidisti.

7. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, amarissimum

mum illum potum è felle & aceto mistum, quem tibi lassato, & Spiritu pene destituto in Monte Calvariæ, impij illi obtulerunt.

8. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, illam dolorosam violentiam, dum te iniquissimi illi cum furore incredibili, vestibus tuis, quæ jam propter cruorem, vulneribus tuis tenacius impactæ erant, exuerunt; & novos dolores, Sanguine copioso profluente adauxerunt.

9. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, indicibilem illum dolorem, quem perpessus es, dum per illos crudelissimos Carnifices Cruci affixus fuisti: Matrisq; tuæ dulcissimæ doloris gladio Cor transverberatum vidisti.

10. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, Sacrosanctum Sacrificium illud, quod tantis gemitibus æterno Patri tuo, in Altari Crucis obtulisti: cujus virtute, iram ipsius lenijsti, & Cælum homini occlusum, reclusum fecisti.

SABBATHO.

Oblatio eorum, quæ Christo acciderant in Cruce pendenti.

1. DUlcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, ingentes dolores illos, quibus Corpus tuum Sanctissimum, in Cruce conclavatum afflictum fuit.

2. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, omne id, quod trium horarum spatio in Cruce pendens perpessus es, præcipuè illos dolores, quos in manibus & pedibus è clavorum penetratione sensisti.

3. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, dorsum excoriatum, humeros exulceratos, pectus laceratum, nervos incisos, ossium juncturas laxatas, totumq; Corpus plagis & verberibus perforatum.

4. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabùs Purgatorij, compassionem illam, cum Matrem tuam, præ angustia exanimatam videres, & Magdalenam tuam, immersam lachrymis stipitem amplexantem, & prædilectum Discipu-

lum tuum, vix non efflantem animam vidisti.

5. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, innumera vituperia, & irrisiones, quas Sacerdotum Principes, cum Scribis & Pharisæis, capita sua moventes, & verbis mordacibus proscindentes sub Cruce contra te effutiebant.

6. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, lachrymas, & suspiria, quæ in Cruce emittebas pro Crucifixoribus tuis, supplicans Patri tuo, orasti dicens. PATER DIMITTE ILLIS, NON ENIM SCIUNT, QUID FACIUNT.

7. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, ardentem Sitim; adeò, ut exclamare cogereris, SITIO, & inhumani ac truces Milites, tibi in Spongia acetum cum felle mixtum porrexerunt, quæ cùm gustasti bibere noluisti.

8. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, planctum & ejulatum tuum, quem, dum te à Patre tuo derelictum videbas, edidisti, & de Cruce clamasti. DEUS MEUS, DEUS MEUS, QUARE ME DERELIQUISTI.

19. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, ultimum illum dolorem tuum, quem, dum divinissima Anima tua separabatur à Corpore sensisti, & eam Patri tuo offerens, dixisti. PATER IN MANUS TUAS, COMMENDO SPIRITUM MEUM.

20. Dulcissime Domine Iesu, offero tibi pro Animabus Purgatorij, omnes Matris tuæ dolores, quos habuit in Monte Calvariæ, videns te, in tantis angustijs constitutum, in Cruce ignominiosè morientem, lanceâ tam crudelitèr latus tuũ perforari, à Cruce deponi, in suis brachijs jacentem; & deniq; infinitis lachrymis, te ad Sepulturam deferri.

In fine oblationum cujuslibet diei, offerenda erit Oratio infra posita, pro occultis, incognitis, & oblitis peccatis nostris.

ORATIO

Post supradictas Oblationes.

OFfero tibi insupèr Domine mi, reliquas ignominias & dolores, quos sustinuisti, qui nobis sunt incogniti, neq; perEvangelistas descripti. Offero, inquã, tibi, pro omnibus peccatis, quorum nul-

lam per ignorantiam aut negligentiam, habeo cognitionem, & quæ me prorsus latent.

Istæ Oblationes applicandæ sunt Animabus, vel in genere, vel in specie. Item possunt dici, vel corde, vel ore, vel mentaliter, non præcipitanter, nec cum distractione.

Quod si cuiquam bonus Amicus, aut Consanguineus obierit? Ad templum se se conferat, & quâ potest devotione maximâ, recolet dolores Passionis Christi, pro requie illius Animæ.

Nihil enim in tota Ecclesia Deo est acceptius, nihil quod efficacius, peccatorũ remissionem obtinere, aut celerius Purgatorij Animabus succurrere possit, quàm Sacratissimam Domini Iesu Christi Passionem offerre. *P. Alexius de Salo.*

PROSA
Ad B. V. MARIAM,
Pro Defunctis.

LAnguentibus in Purgatorio,
Qui purgantur ardore nimio,
Et torquentur gravi supplicio,
Subveniat tua compassio.
O Maria.

Fons es patens quæ culpas abluis,
Omnes ſanas, & nullum reſpuis;
Manum tuam extende mortuis,
Qui ſub pænis languent continuis.
O MARIA.

Ad te pia, ſuſpirant mortui,
Cupientes de pænis erui,
Et adeſſe tuo conſpectui,
Et gaudijs æternis perfrui.
O MARIA.

Clavis David, quæ Cælum aperis,
Nunc beata ſuccurre miſeris,
Qui tormentis torquentur aſperis;
Educ eos de domo carceris.
O MARIA.

Lex juſtorum, norma credentium,
Vera ſalus in te ſperantium,
Pro defunctis ſit tibi ſtudium
Aſſiduè orare Filium.
O MARIA.

Benedicta per tua merita,
Te rogamus, mortuos ſuſcita,
Et dimittens eorum debita.
Ad requiem ſis eis ſemita.
O MARIA.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.
Pater noſter, & Ave Maria.

℣. A

℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animas eorum.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.
℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

ORamus te, pijssima mundi & Angelorum Domina Virgo MARIA, ut eis, quos purgatorius examinat ignis, impetres refrigerium: peccatoribus indulgentiam: justis perseverantiam: nos quoq; fragiles, ab omnibus defende periculis. Per Christum Dominum nostrum.

Præfatas Oblationes Passionis Dominicæ, qui voluerit pro se ipso offerre dicet. Dulcissime Domine IESU, offero tibi pro peccatis & erratis meis. &c.

Quibus & quot medijs Animæ in Pœnis Purgatorij detentæ possunt salvari.

Sancta Birgitta, dum precabatur pro Anima quadam in purgatorio existente, Christus Dominus revelavit ipsi. lib. 6. Revel. *Posse salvari quamlibet Animam novem modis.*

1. Sal-

1. Salvabitur propter Passionem meã, quia tenuit fidem Ecclesiæ meæ.

2. Propter immolationem Corporis mei, quia hoc est antidotum Animarum.

3. Propter preces Electorum meorum, qui sunt in Cælo.

4. Propter Opera bona, quæ fiunt in Ecclesia Sancta.

5. Propter preces Bonorum Viventium in mundo.

6. Propter Eleëmosynas factas de bonis justè acquisitis: & si restituantur ea, quæ sciuntur malè acquisita.

7. Propter laborem justorum, qui pro salute Animarum peregrinantur.

8. Propter Indulgentias à Pontificibus concessas.

9. Propter pœnitentias aliquas pro Animabus assumptas, quas viventes non compleverunt. In Compendio:

1. Passio Christi. 2. Sacrificium Missæ. 3. Intercessio Sanctorum. 4. Opera bona Vivorum. 5. Preces Vivorum. 6. Eleemosynæ. 7. Peregrinationes sacræ. 8. Indulgentiæ Ecclesiæ. 9. Ultrò assumptæ castigationes corporis.

ORDI-

ORDINATIO OBLATIONIS PASSIONIS DOMINICÆ,

Pro Animabus in Purgatorio detentis.

DIE DOMINICO.

Pro Animabus Omnium Sacerdotum, & Miniſtrorum Eccleſiæ Dei.

FERIA SECUNDA.

Pro Animabus, Parentum, Fratrum, Sororum, Conſanguineorum, Affinium, & Amicorum.

FERIA TERTIA.

Pro Animabus omnium tibi commiſſorum in genere & ſpecie.

FERIA QUARTA.

Pro Animabus omnium Benefactorum tàm in Spiritualibus, quam in temporalibus.

FERIA QUINTA.

Pro Animabus improvisâ morte corporibus exutis, bello, fame, & peſte ſublatis: qui caſu in itinere, vel mari perierunt, & quarum non eſt ſpecialis memoria.

FERIA SEXTA.

Pro Animabus in Purgatorio existentibus, pro quibus Deus vult, & scit te debere orare.

DIE SABBATHI.

Pro Animabus, quæ ex occasione tua, torquentur in Purgatorio.

Gregorius XIII. Paulus V. & Vrbanus VIII. concesserunt. Vt habens granum benedictum IOANNÆ de la Croix, quacunq; Feria Sexta quinquies; die verò Parasceves trigesies ter, dixerit Adorationem S. CRVCIS sequentem, liberat animam è purgatorio.

ADoro te, ô Crux pretiosa, quæ teneris pedibus, & Venerabilibus manibus Domini mei IESU Christi fuisti ornata, & pretioso ejus Sanguine coöperta ac tincta. Adoro te, ô Deus meus, pro me Crucifixe. Iterum te adoro ô Sancta Crux, propter amorem ejus, qui est Deus meus, & Dominus meus IESUS Christus.

Est etiam Oratio efficacissima eliberandi Animas de pœnis Purgatorij, dicendo Pater noster. Ave Maria. & Credo: atq; Miserere mei Deus. Pr. Elias à S. Theressia in Legatione Triumph. ad Militantem Ecclesiam.

Praxis alia Devotionis,

Pro Animabus Purgatorij.

1mo. Sub Missæ Sacrificio, specialitèr memoriam agere mortuorum, potissimū sub Memento pro mortuis.

2do. Ad Pax Domini sit semper. in Calicem cum Hostiæ particula Animam unā immittere.

3tio. Cum Sacerdote, si sacramentalitèr quis nequeat; spiritualitèr saltem pro Defunctis communicare.

4to. Sacro finito, De profundis, aut Pater noster, & Aue Maria aliquoties recitare.

5to. Sacra triginta dici curare, vel saltem audire.

Ut autem Oratio sit efficax ad impetrandum requiruntur conditiones quatuor.

1. Ut sit in statu gratiæ.
2. Ut habeat spem indubitatam impetrandi.
3. Ut sit Attentio ad Deum.
4. Ut sit perseverans in ea.

SYNOPSIS INDULGENTIARUM, A SVMMIS PONTIFICIBVS, Christi Fidelibus concessarum.

Ut plenam quisque habeat notitiam Temporum & Locorum, quibus concessæ sunt Indulgentiæ à Summis Pontificibus, brevis illarum Synopsis hîc describitur. Priusquam tamen ad illarum enumerationem accedatur; nonnulla scitu necessaria infra ponantur.

1. Indulgentia est Relaxatio seu remissio pœnæ temporaliis, pro peccatis actualibus debitæ.

2. Indulgentia est 2plex. Plenaria, & non Plenaria.

3. Plenaria est. Quâ remittitur tota pæna temporalis.

4. Non plenaria est. Quæ non remittit totam pœnam luendam pro peccatis, sed tantum, quantum à Concedente in Bullis exprimitur.

5. Homo peccator, in peccando, duo meretur, Culpam & Pœnam.

6. Cul-

6. Culpa mortalis, vel venialis, non remittitur per Indulgentiam, sed per Sacramentalem absolutionem, aut sufficientem Contritionem.

7. Culpâ remissâ, non remittitur pæna, sed remanet, vel in hac vita, vel in pænis purgatorij ad tempus luenda.

8. Pæna peccatis debita, non potest remitti per Indulgentiam, nisi prius remissa fuerit culpa, in qua fundatur pæna.

9. Homo in peccato mortali existens, non potest consequi Pœnæ temporalis Indulgentiam.

19. Solus Summus Pontifex potest cōcedere Indulgentias. Alij Prælati Ecclesiæ, quatenus ipsis conceditur à Summo Pontifice.

11. Per Indulgentiam plenariam, remittitur tota pœna in Purgatorio luenda pro peccatis, ante Indulgentiam consecutam, commissis.

12. Moriens, obtentâ plenariâ Indulgentiâ, statim evolat in Cælum, absq; ulla dilatione & morâ.

13 Ad lucrandam Indulgentiam non est necesse habere Intentionem Actualē, sed sufficit habere Virtualem seu Interpretativam & Habitualem.

14. Non est necessarium, ut is, qui lucraturus est Indulgentiam plenariam, debeat esse in gratia per Sacramentalem Confessionem, quando de tali Confessione præmittēda non sit specialis mētio à Concedente. Si tamen culpam mortalem habeat; & si perfectè de ipsa Contritionis actum eliciat; consequitur Indulgentiam. Quia existens in gratia per Contritionem, capax est Indulgentiarū.

15. Qui Indulgentiam consequi cupit, opus est, ut omnia, quæ præscripta sunt à Pontifice in concessione Indulgentiæ, fidelitèr & integrè præstet: alias, non adimpletis illis, non obtinetur Indulgentia.

INDULGENTIÆ PLENARIÆ,

A SUMMO PONTIFICE JNNOCENTIO XII.

Omnibus CHRISTI Fidelibus etiam in Confraternitate ulla non existentibus concessæ.

In Festis Christi Domini.

Nativitatis, & Epiphaniæ, Resurrectionis, & Ascensionis, Pentecostes, & Sanctissimæ Trinitatis, & Corporis Christi.

In Festis B. V. Mariæ.

Purificationis, & Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis.

In Festis.

Nativitatis S. Ioannis Baptistæ.
Sanctorum Apostolorum, Petri, & Pauli, & aliorum omnium Apostolorum.

In Festo Sanctorum Omnium.

Quicunq; Coronam Domini, aut Coronam B.V. Mariæ, aut

Rosa-

Rosarium, vel Partem illius Tertiam. aut
Divinum Officium. aut
Officium parvum B. V. Mariæ. aut
Officium Defunctorum. aut
Septem Psalmos Pœnitentiales. aut
Psalmos Graduales recitaverint. aut
Detentos in Carcere visitaverit. aut
Pauperibus subvenerit. aut
Missam celebraverit, vel audierit.

Si verè pænitens Sacerdoti approbato, confessus fuerit, & SS. Eucharistiæ Sacramentum receperit, piasque ad Deum preces.

1. Pro Fidei Catholicæ propagatione.

2. Pro necessitatibus S. Romanæ Ecclesiæ, & ejus exaltatione.

3. Pro pace & concordia Principum Christianorum.

4. Pro Hæresum & Schismatum extirpatione; fuderit. Plenariam peccatorum suorum consequitur Indulgentiam.

INDULGENTIÆ PLENARIÆ, SS. ROSARII.

In primo ingressu S. Rosarij.
In Festo Nativitatis Christi Domini.
In Festis omnibus B. V. Mariæ.
In Festis, quibus recoluntur Mysteria Rosarij.
Dominicâ intra Octavam Nativitatis Domini.
Dominicâ proximâ post Festum Trium Regum.
Feriâ 5tâ in Cæna Domini.
Feriâ 6tâ in Parasceve.
In Festis Inventionis, & Exaltationis S. Crucis.
Tribus diebus Paschæ.
Ascensionis Domini.
Tribus diebus Pentecostes.
Omnium Sanctorum.

Dominicâ primâ Quadragesimæ, ad ritè obeundum Iejunium Quadragesimale, qui confessus, & refectus Sacrâ Communione fuerit, vel Missam celebraverit, orans, *vt supra*, plenariam Indulgentiam consequitur. *Clemens VIII.* Do-

Dominicâ primâ cujuslibet Mensis, vel quolibet Festo B. V. Mariæ Indulgentia plenaria. *Clemens X.*

Missam de Rosario (Salve Radix) qui celebraverit; aut celebrari curaverit, vel illam devotè audiverit; vel Rosarium recitaverit, confessus & refectus, vel *ut supra* oraverit. *Idem.*

In articulo mortis, si quis Nomen IESUS, ore, vel mente, pronuntiaverit. plenaria.

Si quis, quinque Altaria in Ecclesia, in qua fundata est Confraternitas Rosarij, visitaverit, & quinque Pater noster, & Ave Maria, coram quolibet Altari confessus recitaverit, fit particeps omnium Indulgentiarum, quascunq; habent omnes Ecclesiæ in Urbe Roma. *Leo X. Clemens VIII. Pius V.*

Ad lucrandas præfatas Indulgentias, opus est, ut sit in Confraternitate SS. Rosarij. Quas etiam omnes infirmi, incarcerati, itinerantes, belligerantes, in mari navigantes, vel aliquod impedimentum habentes, recitantes tamen 24. Pater noster, & Ave Maria, pro exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, consequentur.

INDULGENTIÆ PLENARIÆ,

Confraternitati S. SCAPULARIS, Et Ecclesijs FF. Carmelitarum, tam Primitivæ, quàm Antiquæ Observantiæ CONCESSÆ.

In primo ingressu S. Scapularis.

In Festis.

S. Mariæ de Monte Carmelo.
S. Theresiæ.
S. Ioseph.
S. Desponsationis Mariæ cum Ioseph.
In omnibus Festis B. V. Mariæ.

Quicunq; visitaverit Ecclesiam Fratrũ præfatorum, & confessus ac refectus S. Eucharistia, oraverit: *ut supra. Leo X.*

Qui Ecclesiam Fratrum dicti Ordinis, in diebus Stationum Ecclesiarum Urbis Romanæ, prout in Missali Romano exprimuntur, visitaverint, & ibi devotè *ut supra*, oraverint: Omnes & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarũ relaxationes consequũtur, nisi easdem Urbis Ecclesias visitarẽt. *Clemens X.*

Dies

Dies autem Stationum sunt isti.

Dominica I. II. III. IV. Adventûs.

Tribus diebus, Quatuor Temporum Adventûs.

Dominica Septuagesima, Sexagesima, & Quinquagesima.

A Feria 4ta Cinerum, usq; ad Magnum Sabbathum, qualibet die.

In Dominica Resurrectionis per totam Octavam.

Dominica in Albis.

Feriâ 2dâ, post Dominicam 5tam Paschatis.

In Ascensione Domini.

In Vigilia Pentecostes.

In ipsa die Pentecostes, & per Octavam. Et tribus diebus, Quatuor Temporum.

INDULGENTIÆ
NON PLENARIÆ.

40. Annorum.

Tempore Quadragesimæ, qui ter in Hebdomada, sc. 2dâ, 4tâ, 6tâ, Feriâ, vel diebus Sabbativis, vel diebus Dominicis Ecclesias FF. Carmelitarum visitaverit, & ibi, *ut supra*, oraverit. Quadraginta annos, & totidem Quadragenas, tum septimæ partis omnium peccatorum remissionem lucratur. *Benedictus XI.*

7. Annorum.

Qui Fratres Ordinis Carmelitarum vocaverit esse Fratres B. V. Mariæ de Monte Carmelo, & appellaverit, Septem annos & tot Quadragenas obtinet Indulgentias. *Vrbanus IV.*

5. Annorum.

Qui cum lumine, SS. Eucharistiæ Sacramentum ad ægrotos comitatus fuerit, & pro eis oraverit: quinque annos lucratur.

Mille Dierum.

Post quamlibet horam Horologij sonantis

nantis qui Angelicam Salutationem dixerit, Mille dierum Indulgentias lucratur. *Leo X. & Paulus V.*

300. Dierum.

Qui Litanias de Nomine IESV recitaverit.

Qui ab esu Carnium Feria 4ta & Sabbatho abstinuerit.

200. Dierum.

Qui Litanias de B. V. Maria dixerit.

Qui detentos in Carcere, vel ægrotos in Nosocomijs visitaverit.

Qui doctrinam Christianam in Ecclesia, vel domi pueros, vel servos docuerit.

100. Dierum.

Qui quocunq; die Coronam Christi, aut Rosarium, aut Partem ejus 3tiam. aut Officium parvum B. V. Mariæ, aut Officium Defunctorum, aut Septem Psalmos Pœnitentiales, cum Litanijs & precibus recitaverit.

Qui Feriâ 6tâ de Passione Domini devotè meditatus fuerit, & ter Pater noster, & Ave Maria, dixerit.

Qui ad pulsum campanæ, Manè, Meri-

die, & Vesperi, Angelus Domini, &c. vel unum Pater noster, & Ave Maria, dixerit.

Qui, dato signo pro Defunctis, Psalmũ De profundis. vel unum Pater noster, & Ave Maria, dixerit.

Qui sepulturæ Defunctorum præsens adfuerit, & pro Animabus illorũ oraverit. Consequuntur omnes Indulgentiam Cẽtum dierum.

50. Dierum.

Qui salutaverit alios his verbis,. LAUDETUR IESUS CHRISTUS. Et responderent, Amen, vel Semper.

Qui pro ægrotis, in exitu vitæ constitutis, piè Deum oraverit, vel saltem unũ Pater noster, & Ave Maria, dixerit.

Si quis ante celebrationem, vel auditionem Missæ, aut Eucharistiæ sumptionẽ; aut Divini Officij, vel parvi B. V. Mariæ recitationem, devotam aliquam præparationem adhibuerit; Quinquaginta dierũ Indulgentiam lucrantur. *Innocen. X.*

25. Dierum.

Qui Nomen IESUS, vel MARIA, ore devotè, quoties nominaverit, toties consequitur, 25. dies Indulgentiarum,

Ad

Ad lucrandas autem prædictas Indulgentias, requiruntur ista quatuor.

1. Ut visitent Ecclesias, in quibus fundatæ sunt Confraternitates, tam Rosarij, quàm Scapularis.
2. Ut recitent in illis septiès Pater noster, & Ave Maria; aut Vesperas Defunctorum: aut terram deosculentur coram SS. Sacramento.
3. Ut Scapulare gestent in collo.
4. Ut sint inscripti in Album Confraternitatis.

Notandum. *Ubicunq; apposita sunt hæc verba*, Oraverit ut supra. *orandum esse*, Pro Exaltatione S. Matris Ecclesiæ, Fidei Catholicæ dilatatione, & necessitatibus Ecclesiæ Romanæ.

Pro Pace & concordia inter Principes Christianos.

Pro Hæresum & Schismatum extirpatione.

NB. *Indulgentiæ tam Rosarij, quàm Scapularis, possunt applicari Animabus in Purgatorio existentibus.*

BIBLIOTHECA JAGELLONICA

ORATIONES
Pro lucrãdis Indulgentijs Plenarijs.

Pro Ecclesia Sancta.

OMnipotens sempiterne Deus, qui gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelâsti: custodi opera misericordiæ tuæ: ut Ecclesia tua toto orbe diffusa, stabili fide, in confessione tui Nominis perseveret. Per eundem, &c.

Contra Persecutores Ecclesiæ.

COntere, Domine, fortitudinẽ inimicorum Ecclesiæ tuæ, & disperge illos in virtute tua, ut cognoscant, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

ECclesiæ tuæ, quæsum⁹ Domine, preces placatus admitte: ut destructis adversitatibus & erroribus universis secura tibi serviat libertate. Per Dominum nostrũ Iesum Christum, &c.

Pro Summo Pontifice.

DEus omnium Fidelium Pastor & Rector, famulum tuum N. quem Pastorem

rem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice: da ei quæsumus, verbo & exẽplo, quibus præest, proficere: ut ad vitã, una cum grege sibi credito perveniat sempiternam. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Pro Pace & Concordia Principũ Christianorum.

DEus largitor pacis, & amator Charitatis, da famulis tuis Regibus & Principibus Christianis, veram cum tua Voluntate concordiam, ut bellis, dissensionibus, & omni perturbatione submotâ, securâ tibi serviant libertate.

Pro Hæresum & Schismatum extirpatione.

OMnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes, & neminem vis perire, respice ad animas Diabolicâ fraude deceptas; ut omni hæreticâ pravitate depositâ, errantium corda resipiscant, & ad veritatis tuæ redeant unitatem. Per Dominum nostrum, &c.

Pro

Pro peccatorum remissione.

DEus, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementèr absolvat.

DEus, qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

Pro Pace.

DA pacem, Domine, in diebus nostris, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

℣. Fiat pax in Virtute tua.

℟. Et abundantia in turribus tuis.

ORATIO.

DEus, à quo sancta desideria, recta consilia, & justa sunt opera; da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: ut & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublatâ formidine, tèmpora sint tua protectione, tranquilla. Per Dominum nostrum, &c.

FINIS.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0026447